

VIENNA GLORIOSA,

ID EST

Peraccurata & Ordinata

DESCRIPTIO

Totò Orbe Celeberrimæ

CÆSAREÆ

NEC NON

ARCHIDUCALIS

RESIDENTIÆ VIENNÆ.

UNA

Cum Plateis, Templis, Palatiis, Ædibus, Ærariis, ac Armariis, omnibus tam Intraneis, quàm Extraneis ſciendi cupidis, utiliſſimè in lucem expoſita.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Joannis Georgii Schlegel, Univ. Typogr. Anno 1703.

Proſtat apud Adamum Damer, Bibliopolam, vulgò im Zwetlhof.

TITULUS I.

Antiquus Urbis Viennensis Status.



Ienna, de qua nobis sermo est, inter reliquas decorum prærogativas non in minimis numerat, quod ab imemorabili prorsus tempore sua deducat Exordia, & tot inter rerum vicissitudines, bellorum tumultus, hostium direptiones semper victrix evaserit, & cujusdam in morem Antæi toties prostrata semper fortior, tótque post funera velut alter Phœnix gloriosior sit renata; Celebrantur undique Thebæ, & Athenæ, ac propter vetustatem suam honorantur è pulpitis, prædicantur è rostris, publicis in Lycæis dilaudantur, quarum tamen nec disjecta reperiuntur rudera, sed teste Ovidio: *Quid Pandioniæ restant mibi nomen Athenæ* vacua, & inania nomina circumferuntur: ubi tamen à tot sæculis Vienna adhuc integra permansit, & gloriosissimam, qualem oculis coram cernimus in Civitatem excrevit: si itaque ob solam vetustatem suam jactantur civitates

aliæ, eò quod ut cum Cicerone loquar, antiquitas proximè ad Deos immortales accedat, non parva Civitati noſtræ accreſcet gloria, quòd Urbes quaſque nobiliſſimas ætate ſuâ non contingat ſolùm, ſed ſuperſcendat. Et verò licet hac in re nil certi ſtatuendum putem, cum ipſi inter ſe, quorum de hoc decernere intererat Authores diſſentiant, unanimi tamen cum illis ſenſu pronuntio, Antiquiſſima Viennenſis Urbis eſſe primordia. Teſtantur hoc vetuſta prorſus monumenta noſtro adhuc ſæculo Viennæ reperta, ac ad Lazii in annotationibus lib. 1. Chron. Vien. cap. 1. adducta, in quibus anni à mundo condito 2550. 3899. 4016. &c. Cum diverſis Urbis nominibus Hebraicis litteris, quæ tamen nomina in allatis litteris non reperi, legebantur inſculpti, quæ tempora ſi cum temporibus combinentur, Viennam centeſimo octavo circiter anno poſt Egreſſum Filiorum Iſraël ex Ægypto jam floruiſſe compertum habebimus. Bina autem à Lazio in præfatis annotationibus adducuntur monumenta ipſa in Urbe Viennæ reperta, ex quibus unum ſolùm adferre placuit curioſo antiquitatis Lectori.

Schalem Bar Baruch Venikbar Caph Beth
Tebeth
Meberiath Olam Daleth Aleph Jod Vau.

Quod Monumentum Latinè ſic legitur: Salem Filius Rabbi Baruchi ſepultus eſt vigeſimo ſecundo Decembris, à creatione mundi quater milleſimo decimo ſexto. Teſtantur etiam

etiam antiquitatem ejuſdem Scriptores alii graviſſimi, quibus accedit Æneas Sylvius, & Sabellius, qui ex Plinio & Ptolomæo oſtendunt, Viennam prius Flavianam, Flavium, Vianam, Galbianam, & Juliobonam dictam, quæ prima nomina Urbi à Tito Appio Flaviano Prætore Cohortis ſub Imperatoribus Galba & Vitello impoſita fuiſſe ex Cornelio Tacito deducunt, quod ex ſubjecta inſcriptione, quæ Flavianæ Cohortis ſub decima Legione his verbis meminit (L. Valerio priſco Viennenſi Præf. II. Con. Coh. Duar. Tertiæ Thra. & ſecundæ Aquitanor. ſubintellige) Præf. Trib. leg. X. Fretenſ. Præf. alæ Flavianæ Præf. Fabro loc. ſepulturæ D. D. publicè datus, non ſinè probabilitate colligitur. Quæ inſcriptio Lazio teſte ſic legenda eſt: Lucio Valerio Priſco Viennenſi Præfecto bis Conſuli Cohortium duarum tertiæ Thracum, & ſecundæ Aquitanorum Præfecto, Tribuno Legionis decimæ Fretenſis, Præfecto Alæ Flavianæ, Præfecto Fabrorum, locus ſepulturæ Decreto Decurionum publicè datus.

Quod ſi hæc fortaſſe alicui minus veroſimilia viderentur, certius eſt Viennam prius Vendum, vel Vendobonnam, uti Aurelius Victor in vita Antonini Imperatoris Author eſt, aut Vindobonnam teſte Beato Rhenano, & Strabone fuiſſe à Romanis, qui eam condiderunt appellatam, quæ omnia magis confirmant monumenta alia annis abhinc non multis prope Viennam reperta, quæ Civitati Vindonnæ no-

men imponunt, & insuper decimæ Germanæ Legionis Fabianæ cohortis meminerunt, quæ fusius in Lazio L. 1. Chron. Vien. C. 3. & l. 2. Specul. Hon. Dom. Austr. C. 1. invenies. Unde etiam civitati postmodum à Fabiano, ejúsque cohorte nomen Fabiana datum, quod denuò à Majoribus nostris corruptum, Bianna, & tandem Bienna, ut cum Lazio C. 4. loquar, pronunciatum fuit: quorum fidem faciunt in Codice quodam vetusto, & ante ducentos circiter, uti ex Charactere colligitur manu scripto, hæc verba: *Vienna tempore S. Severini* (erat hic Austriæ Apostolus) *vocabatur Fabiana.* Quibus à verbis non leve fundamentum deducitur, Viennam jam tunc floruisse, & orbi ob Romanorum potentiam fuisse formidandam, ac plurimas civitates quantumvis florentissimas nobili vetustate anteire.

Ne tamen in una vetustate Urbis gloriemur, cum rebus etiam exiguis diuturnis esse quandoque liceat, Urbs hæc jam à prima ætate sua, quod adhuc nostris est temporibus, Romanorum Imperatorum sedes præ aliis fuit delecta, ac Imperatores sui Incolas Julium, Octavianum, Augustum, Tiberium, Claudium, Drusum, Cajum Cæsarem, Galbam, Vespasianum, Nervam, Trajanum, Marcum Aurelium, Pertinacem, Septimium Severum, aliósque plures numeravit, qui tempore sat longo opportunitate belli cum finitimis populis hac in Urbe subditis jura dictabant, & imperia moderabantur;

quæ

quæ certa jam erant futuræ gloriæ, quâ Vienna olim triumphatura eſt, præſagia, & monumenta. Vide de his Specul. Hon. Dom. Auſtr. l. 2. c. 1. & Lazii l. 2. c. 1. Et licet ſæpius Martis inſani impetu fuerit proſtrata, nunquam tamen evelli ità potuit, ut non in caput, & Principem Urbium, qualem nunc miramur, excreſceret, ad eum planè modum, quo quandoque ſuo ſub cinere latitans favilla ad tempus deliteſcit, quæ nihiloſecius leni excitata flamine in tantum erumpit incendium, quod ſummis etiam, ac anguſtis palatiis ſupremum exitium minitatur. Ne verò in immenſum oratio decurrat, non hìc, quod Cornelius Tacitus de amore German. fuſius diſſerit, nobis mens eſt deſcribere turbines, & prælia, quæ gentes variæ adversùs Germanam fortitudinem ſuo ſæpius damno attentârunt, neque primas Urbis hujus vicinorúmque locorum direptiones depingere, quibus ſuccumbere quandoque invictam alioquin Urbis noſtræ potentiam erat neceſſe: quid enim tam forte unquam fuit, aut eſſe poterit, quod non eventu aliquo ſi non omninò, ad tempus tamen fuit ſuppreſſum. Non primam mundi faciem diluvio univerſali deletam, non Monarchias quaſque potentiſſimas ab aliis devictas in exemplum adferam, quotidiana experientia creatas res omnes perpetuò non eſſe ſibi conſtantes, abundè ſuper declarat. Illud certò prodigii, & ſummæ gloriæ loco ducendum eſſe exiſtimo, Viennam, licet ad tempus obſcura-

tam, nunquam tamen fuiſſe deletam, ut non copioſiore lumine orbi fulgeret, & poſteritati. Licet enim communi reliquis excidio Bellonæ incendium etiam hanc Urbem noſtram involverit, & ſplendorem illius quingentis annis, (tanto enim tempore deſerta permanſit) oculis poſterorum eripuerit, aurum tamen imitabatur, quod purius ex igne, quam intrârat, egrederetur: Nam cum hac de cauſa Marchiones Auſtriæ (nondum enim Archiduces nominabantur, ſed tempore Friderici II. uti Cuſpiniannus, Münſterus, & Lazius autumant, Auſtria Archiducatus dicta eſt) Melicii, qui locus tum temporis Auſtriæ Metropolis erat, reſiderent, Leopoldus Pius, Sanctorum poſteà Catalogo adſcriptus, devictis Hungaris, & ex Auſtriæ finibus ejectis ſecundo Danubio deſcendens, Aulam ſibi ad apicem montis Ceſii exſtruxit: nondum Vienna ſuis à ruderibus erat effoſſa, ſylveſtres arborum tapetes adhuc locum incultum retinebant, & unicum ſolum arbuſta inter Venatorum erat receptaculum, quod viciniæ illi nomen vulgò Pürckhoff (cujus in memoriam Leopoldus I. Aug. Rom. Imp. anno 1670. ſupra tectum aulæ ſuæ cervum, & Venatorem ex Lamina cuprea poni curavit) imponebat: cum ſucceſſu temporis evelli arbores, & ſimilia plura tuguria ædificari cœpta, donec ex aulæ primoribus quidam Majores condere domos, & Henricus II. Leopoldi Sancti Filius decimo quarto regiminis ſui anno Viennam

nam incolere, & in Urbem formari mandaret: restat adhuc hodie ipsa in Urbe truncus quidam arboreus ferro circumdatus ad domum quandam, quam vocabulo communi **beym Stock in Eysen** nominant, qui in memoriam manet relictus. Definiebatur verò Urbs ipsa anguſtiori longè termino, ac modo miramur, neque ædificiis tam copiosis, neque districtu tam amplo extendebatur, siquidem Monasterium ad Scotenses dictum, plateæ Dominorum, Carinthiaca, Pistorum, Forum altum, Aula, **Wolzeil/ Graben/** Gradus B. V. & quidquid vicinia illa includit, nullo adhuc Civitatis muro comprehendebantur: donec eam Leopoldus VI. cognomine Virtuosus, splendidis ornari ædificiis, Mœniis cingi, & propugnaculis muniri, ac ità fecit ornari, ut jam iterum adversus fidei, aliósque hostes firmissimum præsidium, Mercimoniorum diversorum Emporium, florentissimarum sex Nationum Germanæ videlicet, Hungaræ, Italæ, Bohemicæ, Polonicæ, & Sclavonicæ commune hospitium, & Imperii tandem Romani, ac ipsius mundi effecta sit gemma, & ornamentum.



TITULUS II.

Moderna Urbis facies, ſitus, & munimenta.

QUamvis plurima ſint, eàque non exigua, quæ Urbem noſtram amabilem civibus, mirandam exteris, jucundam amicis, formidandam hoſtibus, orbi denique univerſo celebrem reddere poſſint, non tamen ultimo cenſendum loco autumo, quæ ab aliis inter prima numerantur, ſitum amœnum, & munimenta; quemadmodum enim ex cortice nucleum, ex foliis arborem, ex floribus fructum, ex indice bene ordinatum horologium, ſic ex his internum ſplendorem, & magnificentiam ejuſdem licet conjecturare; quæ ſi vera ſunt, uti negari non poſſunt, Viennam Urbium Principem, ſupra aſtra collocandam nemo eſt, qui diffiteatur. Ut autem quod tractandum ſuſcepimus proſequamur, cùm id ſecundùm meritum Civitatis hujus non poſſimus, pictores eos imitabimur, qui opus aliquod, dum vivis coloribus exprimere non valent, illud ſub umbra conſtituunt, aut nocte aliquâ contectum proponunt aliis, ut vel ſic ſe impares tanto oneri etiam inviti fateantur: Ità nos cum nativum Urbis hujus ſplendorem, quantus in ſe eſt, ob oculos aliis ponere nequeamus, rudiori calamo, quaſi nubeculâ quapiam eundem contegentes fateri non pudet, majorem eſſe Urbis Majeſtatem

tem

tem quàm verba, quibus eam describere adlaboramus.

Vienna itaque Austriæ Metropolis Germanique Imperii sedes illam hactenus induta est Majestatem, ut si eam cum vetere conferas, Viennam intra Viennam cum Diogene vel accensis facibus scrutarêre; ita enim magnitudine, decore, potentiâ, fortitudine, aliisque donis, & dotibus semetipsam transcendit, ut non illam, sed aliam prorsus esse profitereris: Et quamvis situm, quo antehac gloriabatur, amœnissimum nunquam mutaverit, nec in aliud translata solum pristinam stationem reliquerit, magno tamen dilatata circuitu in eam excrevit vastitatem, ut maximis Orbis Civitatibus, quemadmodum in fine demonstrabimus, non comparari modò, sed anteferri posse videatur.

Sita est autem Urbs nostra septentrionem versùs loco salubri, & plano, ac ventis, qui frequentes aërem, quod sanitati conducit plurimum, serenent, pervio: A dextris Danubio fluviorum Germaniæ Principe defenditur, quem 60. minores, navium tamen feraces amnes, quasi totidem tributarii reguli sui accessione locupletant. Et quamvis non integro alluatur flumine (illud enim medio circiter ab Urbe milliari cursum suum tranquillâ Majestate prosequitur) tantum nihilominùs sui ad rubram turrim profundit alveum, ut nisi aut caloris vehementiâ, aut nimiâ aëris siccitate præpediatur, integra etiam navigia patiatur, quæ alioquin in

 dis-

diſſito ad lapidem pago, à Nucibus vulgò Nuß-dorff dicto morari, aut alto Danubio defluere coguntur. Terram habet omni ex parte fructuum, frumenti, viníque feracem, quæ tanta in copia colonorum compenſat labores, ut in vicinas etiam Provincias cum magno earundem commodo, & nullo Auſtriæ diſpendio diſtrahi poſſint, & divendi, ad quæ non modicum conferre videntur clemens influxus ſiderum, & climatis moderata temperies: nam ſi Clavio credimus, ſecundùm cœli dimenſionem in tabulis Geographicis juxta longitudinem habet 37. gradus, 45. minuta, juxta latitudinem verò 48. 20. minuta continet, quæ poli conſtitutio neque frigoris exceſſum in hyeme, neque abundantiam caloris in æſtate, ſed temperatas, benéque ordinatas anni partes invehat, & involvat eſt neceſſe. Et quemadmodum ſitus hìc, locíque jucundus intuitus Incolis, civibúsque gaudium & immunitatem, ità non minorem adfert invidiam hoſtibus, & externa Urbis facies ad omnem hoſtilem impetum retundendum abundè proviſa. Circumdant illam muri firmiſſimi; quos olim Leopoldus V. uti ſuperiori titulo recenſuimus, adhibitis ad id 50000. Marcarum auri, quas à Richardo Angliæ Rege ob irrogatam ſibi in terra ſancta contumeliam, dum Viennæ caperetur, acceperat, primò ædificari, & turribus quales adhuc ad portam rubram videntur muniri, quod Cuſpian. de Cæſare ſub Henrico VI. ad annum circiter 1192. factum

ctum fuisse, ac adhuc à se lapideas Leopoldi Ducis, & Richardi Angliæ Regis statuas in exteriore muro ad portam rubram locatas cum annexa subscriptione, quæ tamen injuriâ temporis destructa legi ampliùs non poterat, visas fuisse affirmat: Hi muri successu temporis ad artis regulas meliùs à variis gloriosæ memoriæ Imperatoribus præsertim Ferd: I. II. III. & regnante Augustissimo Cæsare Leopoldo I. uti incisæ lapidibus exhibent litteræ, propugnaculis majoribus duodecim, & minoribus undecim cocto ex latere, & quadris ad radicem, ac angulos lapidibus, viis occultis, fossâ secundùm proportionem profundâ & latâ, quæ si opus sit pro libito potiori ex parte aquâ impleri possit, palis arctè circum circà conjunctis, & omni ad hostem arcessendum apparatu ità defensi sunt, ut concordi omnium quotquot fortitudinem Urbis aut consideràrunt, aut damno suo experti, consensu, inter primaria Orbis munimenta Vienna jure merito possit collocari. Habet autem præter 11. Revelinos propugnacula, ex quibus in castra hostilia horrendum detonare queant tormenta, majora duodecim: Aquaticum, seu Hydragogicum, Braunianum, Stubense, Biberianum, Civicum seu Sambucum, ad rubram Turrim, Novæ Portæ, Propugnaculum, vulgò die Ellend/ Melicense, Löbelinum, Palatinum & Carinthiacum. Portas quod attinet Urbs universa 6. continet arcubus, & fornicibus insignes, advenísque & aliis è Regionibus adven-

adventantibus peropportunas, quæ ad 40. pluresque pedes sua in longitudine extensæ vel solæ ad hostiles infringendas vires sufficerent: Et ut à primaria quæ ab Aula Cæsarearum, Regiarùmque Majestatum, Aulica nominatur, incipiamus, ea Occidentem respicit, viámque in Noricum Ripense, & Imperium ostendit. Altera majoribus nostris Hortensis nunc Scotensis dicitur, ob insigne quoddam P. P. ex Ordine D. Benedicti ad Scotenses de quibus plura alibi, Monasterium, portæ illi vicinum; Occidentem inter, & Septentrionem hæc sita est, illísque percommoda, qui adverso Danubio in Superioris Austriæ Partes proficisci desiderant. Sequitur hanc porta alia, ad Septentrionem posita ob commoditatem littoris ante annos paucos ab Augustissimo Imperatore Leopoldo erecta, & ob id porta nova appellata, à qua passibus circiter ducentis distat porta ab adstantibus rubris Turribus rubea nuncupata, sita est Septentrionem inter & Ortum ac in Bohemiam, Poloniam, Moraviam, transeuntibus inservit. Stubensis ad Ortum posita Hungaros venientes excipit, & vicissim in vastum Hungariæ Regnum euntibus commoditatem omnem exhibet. Ultima tandem cui à Carinthiæ Provincia Carinthiacæ nomen impositum, ac meridiem versus ædificata est, quidquid ex Styria, Carinthia, Carniolia, Italia, &c. Viennam devehitur suo transitu recipit: Cæterùm ne qua vi, aut fraude per aliquam harum hosti aditus pateat, soler-

ertibus vigiliis, quæ in horas ſingulas militibus aliis, ac aliis tam diebus quàm noctibus ſibi ſuccedentibus renovantur, vigilantibus circum per mœnia cuſtodibus, ſtatutis claudendi, aperiendíque pro temporis diverſitate temporibus, providâ Centurionum, aliorúmque, quibus incumbit officialium curâ, & tandem paternâ illius ſine quo vigilatur fruſtra, Numinis videlicet ſollicitudine, & providentiâ ſuperabundè prohibetur; quem tamen in finem, quod ad hunc titulum referendum judicavi, ampliſſima ipſa in Urbe, præter copioſa militum receptacula 3. ſunt erecta armamentaria, quorum vel unum Cæſareum ad 30000. Cataphracturâ ferreâ armare, plures multò ſclopis, haſtis, enſibus, bipennibus alióque militari apparatu, tam contra hoſtiles inſultus, quàm apertis in certaminibus poteſt munire ità, ut formidandum hoſtibus exercitum ex hoc uno velut ex equo Trojano poſſit educere, qui innumeris tam minorum ſcloporum, quàm tormentorum Mortariorum, aliarúmque æneârum fiſtularum impetat inimicas vires viribus, cladibus labefactet. Alterum itidem Cæſareum Arſenale dictum naves varias continet, quibus ſi opus foret per Canalem ex Danubio ad mœnia introductum erumpere milites, hoſtésque tam terrâ, quàm aquâ aggredi valerent. Tertium armamentarium Civitatis proprium, & ob id civicum appellatum non procul à domo Profeſſa, præter magnam tormentorum, & mortariorum co-

piam

piam innumeram aliorum armorum habet multitudinem, quæ multa millia hostibus objicere potest intuitu solo formidandorum, ut vel ità prodigii loco habenda sit Civitas afforis tam benemunita, intùs armis, & bellico apparatu, qualem justus etiam & ad 100. vel plura millia excurrens non expleat exercitus, tam abundanter provisa.



TITULUS III.

Interna Urbis constitutio Templorum ædificia, & quid in iis videndum.

TAnta fuit apud Ethnicos, & Barbaros æquè ac Christianæ fidei Cultores in Deum Superósque pietas, ut nullam ferè gentem reperias, quæ non Deos suos, & quæ à majoribus nostris accepit Numina angustis templorum structuris duxerit esse celebranda, hinc tot per Orbem Universum splendidæ, ac à sola magnificentia sua, & sumptibus notæ posteritati moles, quas immensis propè thesauris Sesostris in Ægypto, Semiramis Babylone, Delphis Agamedes, & Trophonius, Romulus, Numa, Ancus Martius, Tarquinus, & alii Romæ Amazones, ut volunt Solinus, & Mela, vel ut Pausanias, Græsus Ephesiis, aliíque aliis in locis extruxerant: hinc nostro adhuc ævo tot stupen-

penda mundo ſpectacula, quot à ſummis Pontificibus, Coronatis verticibus, fidei Catholicæ firmis præſidiis, veri Dei gloriæque divinæ Zelotis profusâ liberalitate proſtant monumenta. Taceo antiqua tempora, prætereo Felices, Paſchales, Hilarios, Symachos, Bonifacios, alióſque Eccleſiæ Paſtores, ſileo Conſtantinos, Heraclios, Juſtinianos, Baſilios, Clodovæos, Dagobertos, nota à pietate poſteris nomina, longíſque è regionibus petita: Auſtriacæ Domûs Viennenſem per Urbem Deo, Divíſque erecta odæa loquuntur Religionem, eámque vel muto ſermone ſufficienter deprædicant, ac tinnientibus campanis ad ultimam uſque Thulen unà cum ſono Urbis noſtræ provehunt gloriam, & Majeſtatem. Et ùt templis illis quibus ob jurisdictionem, quam habent, primas deferre oportet, partes præcipuas concedamus, 4. numerantur Parochiales per Urbem Eccleſiæ: S. Stephani Cathedralis, ad gradus B. V. ad S. Michaëlem, & ad Scotenſes: in his paſtoralia exercentur munia, & tam vivis, quàm mortuis ex proprio cujusvis jure, & munere ſubvenitur.

Prima dignitate omnium reliquorum eſt Cathedralis S. Stephani Eccleſia, quæ ut refert Lazius anno 1140. in honorem omnium SS. ab Henrico primo Auſtriæ Duce S. Leopoldi Filio exſtructa, parvum prius, & anguſtum extra Civitatis mœnia tempellum erat, quod Rudolphus IV. anno 1360. poſtquàm jam 20. annis prius, anno videlicet 1340. à Remberto Paſſavien-

vienſium Epiſcopo Dominica in albis, quo die etiam quot annis templi illius celebratur dedicatio, in honorem S. Proto-Martyris Stephani ſolemni ritu eſt conſecratum, in Cathedralem evexit Eccleſiam, arcubus, fornicibus, lemniſcis, ac turris fundamento poſito magis exornavit, Præpoſito, & 24. Canonicis, quibus ſufficientes pro decore proventus addidit, illuſtrius, & ſplendidius reddidit, ac effecit, quam turrim deinde pro pietate ſua Albertus III. & tandem Albertus IV. ædili Antonio Pilgraben anno 1400. abſolvit, & amplitudine, elegantiâ, fortitudine, altitudine ad eam redegit Majeſtatem, ut inter primaria monumenta recenſeri, & ut cum Lazio loquar Orbis miraculis adnumerari mereatur. Templum hoc mole ſua auguſtum eſt, ac omnia reliqua Urbis ædificia ſuperſcendit, lapidibus quadris forinſecùs ædificatum, coctis lateribus, coloris diverſi, qui ſole ſplendente ita lucem retundunt, ut oculos etiam à longè intuentium fulgore ſuo perſtringant totaliter tectum: Altaria numerat 33. Organa 5. in latitudine pedes ordinarios complectitur 76. in longitudine 120. memorabilia, quorum quæpiam ſuo dicentur loco multa continet. Turres habet binas 34. Orgyis à ſe invicem diſtantes, quarum altera 460. & dimidium pedem, uti ex dimenſione Nicolai Roſſytko, qui eam conſcendit, & ſtellam cum luna ex eadem depoſuit, habetur, alta eſt, moles certò tanta, quæ & aſpectu jucunda, & magnificen-

ficentiâ suâ excellens est. Altera adhuc imperfecta ac ab Alberto V. anno 1412. inchoata, suam ad perfectionem ob artificis, qui eam inceperat, mortem prænaturam, ac sui Magistri astu, ut ferunt, positis quibusdam, quasi muscipulis, procuratam, deduci non potuit, quamvis ad annum usque 1507. sæpius id fuerit attentatum. Continet hæc Campanam majorem, quæ à puella 10. circiter annorum per quoddam ad id factum instrumentum, quod adhuc hodie intra tectum Templi asservatur, attracta fuit, licet campana 202. Centenarios, & 5. libras suo pondere contineat.

Secunda Ecclesia ad S. Michaëlem dicta, ante años 400. circiter à pia quadam domina ædificata, ob specialem quo in S. Michaëlem ferebatur affectum, primò à Rudolpho III. & Ottone I. Alberti primi filiis ad Chorum usque prolongata, & Parochiali jure donata fuit: addidit postea Chorum anno 1350. Albertus II. Ferdinandus II. eam RR. PP. Clericis Regularibus S. Pauli, vulgò Barnabitis vi Juris Patronatûs unà cum privilegiis omnibus, & Jurisdictione Parochiali, quam ad annum usq; 1626. Presbyteri sæculares administraverant, consignavit, uti Marmor, quo in signum gratitudinis hæc leguntur insculpta, in choro positum clarè exhibet.

Tertia est Ecclesia, & Monasterium insigne ad Scotenses dictum, ac ab Henrico I. quem etiam post mortem suo recepit gremio, 1150. in commodum peregrinantium in terram san-

ctam Scotorum ædificata, ac postea anno 1158. in Abbatiam, & Parochiam redacta.

Quarta Ecclesia Parochiali gaudens Jurisdictione à Passaviensium quodam Episcopo anno 1154. ædificata est, & à gradibus B. V. nomen accepit, subjecta est hæc Diœcesi Passaviensi, proprio gaudet districtu, & Episcopi Passaviensis qui ibi residet, officiali.

Numerat autem Viẽnensis Civitas præter Ecclesias præfatas adhuc alias quàm plurimas, quas inter ob vetustatem, suam præ reliquis memorandæ videntur binæ. S. videlicet Ruperti, & Apostolorum Principis Petri in medio Urbis sita. Illa ãno Christi 640. à Gudibaldo, & Cilarico Presbyteris in honorem S. Ruperti extructa, omnium Viennensium prima habetur, & antiquissima, Lazius tamen l. 2. Chron. Vien. c. 2. ex Hist. vit. S. Severini binas alias, unam S. Joannis Baptistæ, alteram SS. Martyrum Gervasii, & Protasii anno Christi 470. erectas fuisse memorat, locum tamen ubi steterint, aut quando defecerint, non recenset. Ista verò à Carolo Magno anno post Christum natum 882. erecta, prima Urbis hujus Parochia fuit denominata: digna utraque, ut in suæ vetustatis nobilitate conservetur ulterius.

Alias quod attinet Regularium Ecclesias, quæ plurimæ sunt, & florentissimæ, eum servabimus ordinem, ut inprimis virorum, postea sacratarum Deo mulierum ordine Alphabetico

bre-

breviſſimo, quo poterimus, calamo mentionem faciamus.

S. Annæ nunc Templum & Domus probationis Tyronum Soc. Jesu in agnomine ſibi platea ad latus Carinthiacæ ſitum, prius anguſtum Sacellum domui annexum erat, à Domina quapiam anno 1320. in beneficium Peregrinorum ædificatum: habitârunt in ea primò Societatis PP. Viennam à Ferdinando I. Romanorum Rege vocati anno 1551. Poſtquam verò an. 1554. PP. Carmelitarum Monaſterium, ubi nunc Domus Profeſſa eſt, eisdem traditum fuit, Sacellum hoc, & domus in uſum Equeſtris Ordinis S. Stephani ceſſit tam diu, donec 1626. pro commutatione Seminarii (erat hoc Domus illa, quam nunc Legati Pontificii incolunt) denuò in PP. Societatis poteſtatem traditum, & pro Novitiis probandis aptè ædificatum fuit, uti adhuc hodie videtur.

S. Auguſtini Eccleſia Ottonem nominis hujus primum, fundatorem agnoſcit, qui illam anno 1339. inchoavit, adjunctum fuit poſtea à Friderico Pulchro Romanorum Imperatore, Monaſterium celebre, quod acciti ex loco quodam ſuburbano Prater dicto, ubi prius habitaverant, RR. PP. Ordinis S. Auguſtini Diſcalceati, ſecundùm Ordinis ſui conſuetudinem ædificârunt, quia verò Templum hoc Aulæ ipſi eſt contiguum, in Templum Aulicum electum eſt.

RR. PP. Ord. S. Franciſci Minor. Templum S. Crucis, & Conventum habent penes

domum Provinciæ Statibus deputatam, his Fridericus II. Dux Auſtriæ anno 1224. Sacellum cum habitatione conceſſit, quibus Ottocarus Bohemiæ Rex pro majori ædificio fundamenta poſuit, & Templum à S. Cruce nominare voluit, poſt mortem cor illius hic depoſitum quieſcit, & à Blanca Rudolphi III. Ducis Conjuge, ac Eliſabetha Friderici III. Romanorum Regis Conſorte opus totum eſt abſolutum.

S. Dorotheæ Templum, & Canonia ab Alberto II. Auſtriæ Archiduce inchoata à Rudolpho IV. in honorem S. Dorotheæ anno 1360. abſoluta fuit: Manſit 54. annis ſub adminiſtratione Presbyterorum ſæcularium tanquam privatum beneficium, donec vocatis ex **Dürnſtein** RR. DD. Canonicis Regularibus S. Aug. & in debitam formam redigeretur, & in Canoniam formaretur, anno videlicet 1414. à R. D. Andrea Planck Parocho in Goës.

S. Franciſci Templum & Monaſterium à Matthia Rom. Imp. & Anna Conjuge ejuſdem in ipſa Civitate ad novum forum, in quo poſt mortem eorum Corpora quieſcerent, RR. PP. Capucinis eſt decretum; ſed primo poſt utriusque obitum anno videlicet 1631. perfectum fuit. Aſſervatur hìc Theſaurus ab eadem pientiſſima Domina Templo huic deſtinatus, & ob eximias Sanctorum reliquias verè pretioſus. Corpora Defunctorum an. 1633. à Monaſterio Regio, ubi depoſita erant, huc ſolenniter translata ſunt, ubi etiam ad præſens tempus defuncta

cta Archiducum Austriæ corpora sepeliri consueverunt.

Templum, & Monasterium RR. PP. Ord. S. Francisci ad S. Hieronymum dictum, à Domino Conrado Holzer, Urbis hujus Consule in commodum pœnitentium mulierum sub D. Hieronymi Patrocinio extructum fuit. Cum verò fœminarum istarum numerus indies decresceret, & ad unam omnes morerentur, Copia verò Patrum augeretur quotidie ita, ut Templum, & habitatio ad S. Rupertum, ubi priùs habitaverant, eos vix caperet, circa annum 1589. ad locum istum sunt translati.

Monasterium, & Templum ad S. Mariam Rotundam dictum RR. PP. ex Ordine S. Dominici, quod è regione Collegii situm est; primò à Leopoldo V. Austriæ Duce anno 1190. uti refert Lazius l. 2. Chron. Vien. c. 2. postquam ex Asia Victoriis, & spoliis hostibus ereptis clarus, & Richardi Regis Angliæ mulctâ insigniter fuit ditatus sub auspicio, & favore Beatissimæ Virginis in usum Templariorum erectum fuit, quibus expulsis Leopoldus VIII. Archi-Dux Austriæ PP. Prædicatoribus hujus Venerabilis Ordinis concessit anno 1325.

Beatissimæ Virginis, & SS. Ignatii & Xaverii Templum cum Collegio PP. Soc. Jesu Ferdinando II. gloriosæ memoriæ in acceptis referunt, qui illud ex speciali favore, quo minimam hanc Societatem semper est prosecutus, anno

 1628.

1628. ædificavit: plura de hoc titulo *Universitas.*

Professa Domus PP. Societatis JESU, & Templum, quod adhuc nomen ab antiqua Ducum Austriæ aulæ servat, priùs PP. Ord. de monte Carmelo Cœnobium erat, anno verò 1554. à Ferdinando I. Romanorum Rege, ut supra dictum est illis benevolè consignatum est, unà cum quibusdam domibus, etiam illâ, quam nunc Apostolici Nuntii incolunt, in quibus præter Gymnasium tunc temporis erectum, Convictum, & Seminarium Studiosæ Juventutis idoneum habebant, donec ob copiam affluentium Discipulorum Ferdinandus II. Romanorum Imperator specialis Studiorum Fautor Collegium fundavit, Scholas ampliores ædificavit, & Universitatis corpori tanquam vera membra sociavit.

Templa, & Monasteria DEO sacrarum Virginum recenset sua inter mœnia Urbs nostra 7.

Templum, & Monasterium ad SS. Angelos vulgò Regium ab Elisabetha Caroli IX. Galliarum Regis uxore circa annum 1583. (empta ob id à Carolo Antonio Archiduce Fratre suo Aulâ ex qua Monasterium illud construeretur) ædificatum est, & advocatis Monachio Ordinis S. Claræ Monialibus traditum, cum quibus & illa potissimam vitæ transegit partem, & anno 1592. relictis non mediocribus pietatis, & sanctitatis suæ argumentis ex vita discedens, sine

pom-

pompa ulla, uti desideravit, ante summum altare sepulta est.

Alterum S. Claræ ad portam cœli dictum, anno 1267. à M. Gerhardo Parocho Viennensi in Usum sacrarum Virginum Ord. Præmonst. primitùs fundatum, sed crescente numero personarum ab Agnete Austriæ Duce postea Andreæ Regis Hungariæ conjuge anno 1331. amplius à fundamento erectum, & debitis proventibus fuit instructum. Verùm cum diuturnitate temporis, & malâ administratione deficeret, & Copia Monialium minueretur, residuæ in Monasterium quoddam Regni Hungariæ missæ sunt, & ab Eminentissimo Cardinale Cleselio S. Augustini Canonissæ regulares per Bullam Pontificiam introductæ.

S. Jacobi Ecclesia, anno 1113. à Leopoldo V. Marchione S. Leopoldi Filio ædificari cæpta, qui ex occasione sculptæ cuiusdam imaginis S. Jacobi (videtur ea adhuc hodie ipso in Templo supra portam qua in Monasterium intratur) quod ad se, dum propè Viennam torrentem ambularet, ab aqua deferri adverterat, honori S. hujus Apostoli consecravit. Nondum tempellum hoc Urbis mœniis inclusum erat, nec in usum Deo sacrarum Virginum exstructum, dum ex Carinthia veniunt piæ Matronæ, quæ zelo pietatis & religionis permotæ, Ecclesiam auxerunt, & Monasteriũ, in quo & ipsæ Deo viverent, adjecerunt. Cùm verò de forma instituti Religiosi essent anxiæ, apparente

 illis

illis in somno S. Augustino ejusdem regulas sunt secutæ. Proventus plures addiderunt Domini quidam nobiles ex Carinthia de Çareit appellati.

Monasterium S. Josephi ad 7. libros ob domum quandam, quæ in ædificii usum coëmpta fuit, dictum, ab Eleonora Ferdinandi II. uxore fundatum est. Lapide fundamentali ab eadem an. 1633. 22. Octobr. in præsentia Augustissimi, & Archiducum posito. Incolunt Monasterium hoc Virgines religiosæ, Ord. Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, quarum binæ Genuâ, & ex Imperio à Conventu Interamensi sunt advocatæ. Locupletavit inter reliqua Templum hoc proprio suo corpore Augustissima, quod infra summam Aram sepeliri desideravit.

Ad S. Laurentium Templum est, & Canonia nunc sacrarum Virginum sub Regula S. Augustini viventium: Ecclesia hæc ab Ottone I. Mirabili dicto, & Friderico III. duorum Austriæ Ducum suam ducit originem, hi illam anno 1337. ædificârunt, & Monialibus quibusdam assignârunt. A quibus, ubi defunctæ sunt ne vacuus locus relinqueretur, advocatæ, & loco Urbi vicino Prater dicto, ubi parvam habebant Ecclesiam, Canonissæ Reg. Ord. S. Aug. successerunt, habent eæ adhuc hodie fundum aliquem in præfato loco positum.

Ejusdem Ordinis piæ Virgines degunt in Monasterio S. Nicolai. Erat tempellum hoc, & habitatio annexa, priùs ante Urbis mœnia in

usum

usum puerorum, qui sine legitimo patre nascerentur, ædificatum, dein à PP. Ordinis S. Francisci strictioris observantiæ inhabitatum, postquam verò hi in Monasterium S. Hieronymi fuêre introducti, à Ferd. II. suasu Annæ Eleonoræ Conjugis ejusdem Sanctimoniales Ord. S. Claræ Posonio advocatæ, illud obtinuerunt, quæ anno 1651. ædificium majus sibi exstruxerunt.

In D. Joannis platea septimum est Monasterium Religiosarum Virginum S. Ursulæ, quas Eleonora Ferd. III. tertia Consors Lutetiis accersivit, quæ coëmptis aliquot domibus Anno 1675. Templum & Monasterium in honorem suæ Patronæ, à qua nomen acceperant, erexerunt.

Præter dictas sunt Ecclesiæ adhuc aliæ multæ per Urbem dispersæ, quarum aliæ separatæ, aliæ domibus aliis sunt annexæ, quas ad titulum istum referre, & ne nimium in longum excurrat, brevi perstringere calamo placuit.

Hospitale Civicum à Leopoldo VII. anno 1230. ante portam Carinthiacam in honorem S. Spiritûs priùs ædificatum, anno verò 1529. à Solymanno Turcarum Imperatore Viennam obsidente dirutum fuit, unde 1530. à Magistratu civico, consentiente Ferd. I. Rom. Imperatore Sanctimonialium desertum Monasterium ad S. Claram, quod adhuc in hodiernum diem incolunt, in quo etiam Orphani, & derelicti à parentibus pueri sustentantur, & instruuntur, eis concessum fuit. Aluntur hoc ex loco (ut

dicunt) personæ ferè 3000. éstque non tam ad sustentationem pauperum quàm splendorem sumptuosis proventibus, & bonis ditatum. Est & aliud Hospitale Cæsareum dictum, penes domum Provincialem Austriæ inferioris Statibus deputatam, ubi & sacellum proprium habent.

S. Joannis Baptistæ in platea Carinthiaca Equitum Melitensium à S. Severino ante annos circiter octingentos exstructum dicitur, quod tamen vix cohæret, cum Lazio Teste S. Severinus jam anno 481. 8. Jan. mortuus fuerit. Credibilius igitur est Severinum, ut idem Lazius lib. 2. cap. 2. ex vita S. Severini ostendit, jam anno 470. illud ædificâsse, adeóque primum omnium Viennensis Urbis hoc esse Tempellum.

In Cæmeterio S. Stephani duo magna reperiuntur Templa, unum S. Mariæ Magdalenæ dedicatum, de cujus origine, & fundatore non reperi, alterum S. Catharinæ anno 1214. à Menegaldo Passaviensium Episcopo, uti pictura quædam in ipso Sacello extans probat, ædificatum.

Privata Sacella numerantur permulta. In Aula Cæsarea, Regia, & Archiducali tria diversa pro aulæ cujusque commoditate, & magnificentia instructa.

Sancti Andreæ in Aula Episcopali.

S. Barbaræ in Cæsareo Soc. Jesu Convictorum Collegio, quod anno 1652. de novo exstructum, & auctum fuit.

In

In platea Breineriana aliud S. Barbaræ à Domino Haffner Celsi Regiminis Cancellario ædificatum.

S. Bernardi in Aula S. Crucis.

SS. Trinitatis in aula Laziana à Ducibus Austriæ, & divite Viennensi Cive Zinck nomine fundatum.

S. Elisabethæ in domo Equitum Ord. Teutonici à S. Severino exstructum.

S. Georgii in aula Freysingeriana.

Ad Aureum Cervum penes rubram Turrim Beatissimæ Virginis anno 1650. à Domino Octaviano Lumago interioris Senatûs civici senatore ædificatum.

D. Ivonis in platea Scholastica facultati Juridicæ deputatum.

In domo Principis de Liechtenstein.

S. Nicolai in aula Seizeriana.

SS. Petri & Pauli in aureo Monte, qua in domo fundatio est studiosorum Pauperum, ex omnibus classibus collectorum, olim erecta, cujus cura Doctori Medicinæ cuipiam est demandata.

SS. Philippi & Jacobi in aula Coloniensi sumptibus hujatis Civis à cognomine Gundlacher exstructo.

Ad Curiam Sacellum reperitur ab Otthone de Neuburg Nobili Equite primùm in honorem Magnæ Matris anno 1282. erectum; deinde sub titulo Salvatoris, quod nomen adhuc retinet, benedictum, & ab eodem post obi-

tum

tum ſuum Magiſtratui Civico unà cum domo, quæ tum temporis una ex ſplendididiſſimis erat, per teſtamentum legatum.

Non procul à domo Profeſſa Soc. Jesu, domus eſt ab aureo ſerpente nuncupata, hìc ſacellum erectum eſt B. Stanislai Koſtkæ Soc. Jesu in illo Cubiculo, in quo, dum adhuc Juvenis degeret, in gravi infirmitate à Beatiſſima Virgine divinum Puſionem in brachiis geſtante, S. Barbarâ Virgine morientium Patronâ viſitatus eſt, & ab Angelicis manibus SS. Euchariſtiæ Sacramentum recepit, utì in vita ejusdem legitur; in cujus venerationem indultum eſt quot annis 13. Novembris, quem in diem feſtum illius translatum eſt, cuivis inibi Sacra celebrare, quæ etiam magna in copia dicuntur.

In aula quadam vulgò Gundtlhoff S. Thomæ exſtat ſacratum Sacellum.

In platea Preineriana ſita domus Comitum de Trautſon Sacellum habet raris, & ſelectis SS. reliquiis pretioſum, uti pluribus tit. *Gazophylacium*.

A regione Portæ Cœli in domo Juſtitiæ (Ambthauß) pro reis, & judicis ſententiâ extremo ſupplicio afficiendis.

S. Martini ad novam Portam in Stock-hauß.

Ædificatum eſt etiam ante annos aliquot Sacellum parvum in armamentario Cæſareo non procul à Porta Stubenſi, necdum tamen benedictum.

Et

Et hæc ſunt Templa, & Sacella magis obvia, aliiſque nota, plura reperies, quæ in privatis Dominorum ædibus pro cujusvis pietate, & laudabili religione ſunt exculta, quæ licet non mediocriter Viennenſis Urbis augerent gloriam, ne nimiùm prolixi ſimus, omittimus ad alia Viennæ decora progreſſuri.

§ II.

TItulum hunc duas in partes dividimus, ne lectori longitudine moleſtiam cieamus, recenſuimus breviſſimo quantum potuimus calamo Templorum ædificia, & memoravimus potiùs, quàm deſcripſimus: reſtat ut Laconicè quæ in tituli fronte promiſimus ſpectatu digna, quot quot reperire nobis fas fuit, percurramus. Et ut denuò à Principe S. Stephani Templo ſumamus initium, plurimas ibi antiquitates, quin tot memorabilia, quot antiqua monumenta, reperies.

A ſumma Templi Ara incipimus, quæ ex albo, & nigro Polonico marmore artificiosè elaborata, anno 1640. incepta 1647. abſoluta 25497. florenorum impendio eſt erecta, continet ingentem ex ſtanno laminam pretio 522. & dimidii florenorum fuſam, ſupra quam artifice penicillo S. Stephanus Proto-Martyr eſt depictus, ſolutis ob id 1218. floren. & quotidiano tempore laboris victu, alióque decente honorario. Tabernaculum (ut vocant lapide

de pretioso excisum, ac Palermo adductum) 7765. floren. solutum dicitur, quæ omnia Celsissimi Principis, & Ecclesiæ hujus tùm temporis Episcopi Philippi Friderici è Comitibus de Breuner munificentiæ adscribuntur.

In ipso Templi pavimento duo ex rubro marmore albo distincti, quadrati reperiuntur lapides, intra quos Crypta Rudolphi IV. & successorum ex Domo Austriaca, ad quam per gradus aliquot descenditur, videri potest: jacent hìc Rudolphus in medio, Albertus III. cum trica ad lævam, Georgius, Albertus IV. patiens, & Wilhelmus Archiduces omnes pelle bovina contecti: suis verò cistis separati Leopoldus Superbus dictus: Albertus VI. prodigus nuncupatus, & Archiduces Maximiliani II. Rom. Imp. filii. Ab obitu verò Ferd. IV. ad Cryptam hanc sola intestina defunctorum ex Austriacis cuprea in Cista addito eorum nomine imponuntur.

Ad Altaris majoris Beatissimæ Virginis cornu Epistolare Mausolæum Alberti, quod filio suo Friderico IV. qui 15. ætatis, Christi verò 1361. anno vivis excessit, splendidum, & sumptuosum videtur.

Hoc tamen Majestate suâ, & splendore multùm superatur ab illo, in quod Fridericus Rom. Imp. qui id pro se erigi mandavit, positus est: videri potest prope altare majus Cœnæ Domini, pretium ejusdem ut fertur 40000. aureorum excedit.

Plura

Plura monumenta à sumptibus, & antiquitate celebria in omnibus passim parietis, & angulorum partibus curiosus indagator reperiet.

Intra Templi portam dextrorsum, per quam ad æditui domum via ducit, albus lapis, quem inter, & murum plurimæ sunt SS. venerandæ reliquiæ, hæc insculpta charactere vetusto refert verba: *Hic est lapis super quem effusus est sanguis ex serratione tibiarum S. Colomanni Martyris, quem huc collocavit Illustris Dominus Rudolphus IV. Dux Austriæ.*

Lapidea in Cœmeterio Cathedra, ex qua S. Capistranus Ord. S. Franc. ad populum circa annum 1452. sæpiùs latino idiomate verba fecit, ita tamen, ut etiam ab ignaris latinæ linguæ raro prodigio intelligeretur, etiam hodiedum exstat.

Sunt & alia tum intra, tum extra Templi septa quàm plurima, quæ brevitati consulentes omittimus, ea enim Eruditionis, aut antiquitatis amans facilè reperiet.

Nec silentio prætereunda sunt quæ in Templo RR. PP. Minorum S. Francisci habentur. Pendet hic crucifixi Salvatoris super pannum rubrum imago pretiosis Christi Domini reliquiis locuples, continet enim S. Crucis, lanceæ, coronæ spineæ particulas, uti & portionem quandam de virga prodigiosa Aaronis: ascenderat Crux hæc, unde, aut quo ex loco ignoratur, adverso Danubio, & domui ad au-

reum

reum agnellum dictæ, sponte suâ ità firmiter adhæsit, ut à nemine avelli potuerit, quoadusque toto à Clero solenniter ad S. Stephani Ecclesiam fuerit deportata, sed & hinc virtute invisibili, atque ad eum, quo nunc pendet locum translata fuit.

Non minùs prodigiosum est foramen illud, seu hiatus ad finem ambitûs, quem a cruce vocant, per quem Infernalis spiritus 7. die unâ consecratas hostias per contemptum irreverenter sumentem excepto priùs ab indigno corpore (statim enim vitâ functus est) pane angelico, præsente æditu abripuit, & usque hodie apertum reliquit.

Liberalitate Excellentissimæ Com. Margarethæ de Stratman impendio aliquot millium florenorum sacri gradus, uti Romæ habentur Sanctorum reliquiis pretiosi, per quos ob reverentiam solùm de genibus homines ascendunt, comparati, ac Templo huic donati sunt.

Altare S. Michaëlis anno 1698. à quadam Matrona sumptibus aliquot millium Rhenensium exstructum.

In templo aulico RR. PP. Ord. S. Augustini primas obtinet sacellum Lauretanum ipso in templo ad normam veræ Lauretanæ Domûs exstructum, & cratibus, ac lampadibus argenteis locuples, quod devotionis causa in Divam Virginem ingens quotidie hominum copia invisit.

Neque

Neque caret laude sua mortuorum sacellum, quod à dextris Templi computando ab introitu se objicit, semper quidem, maximè tamen die Commemorationis fidelium defunctorum, lampadibus, & luminaribus splendidum.

Erigitur etiam quot annis in Quadragesima, & centenis aliquot Candelis, & Lampadibus auguste exornatur ara major tribus ultimis quadragesimæ sabbathis, ob magnificentiam suam splendor visu dignissimus, cui etiam nullatenus cedunt digna Cæsare monumenta, Castra doloris vulgò nuncupata, quæ in medio templi hujus, quoties ex Domo Austriaca aliquis vitâ defungitur, cum artificiosis Epitaphiis, Symbolis, Inscriptionibus, & argentaria per Gyrum disposita ingentibus expensis eriguntur.

Solent etiam ad Cryptam specialem deponi defunctorum ex hac Austriaca Domo, corda, quæ argenteis inclusa vasculis à Mytratis capitibus ad locum destinatum deportantur.

Plura, & in his, & in aliis per Urbem, & extra eandem dispositis templis, & sacellis Honoris Viennensis argumenta reperiuntur, quæ, ne terminum nostrum libelli excedamus, & in volumen justum excurramus, prætermittenda censuimus, breviter solùm Monasteria, & Templa in Suburbiis, quæ ad Viennensem pertinent gloriam, cùm eorundem quotquot accepimus Fundatoribus, enarraturi.

Et ut à Leopoldina initium sumamus, habet hæc Parochialem propriam Ecclesiam, quæ

ab Augustissimo Imperatore Leopoldo I. anno 1670. in honorem S. Leopoldi eversâ hinc Judaicà perfidiâ & Synagogâ, quam hoc in loco sibi exstruxerant, melius ædificata fuit, habet Ecclesia hæc cœmeterium suum pro mortuis, Parochum cum binis Sacellanis, qui rem divinam peragant.

Monasteria quoque hoc in Suburbio reperiuntur bina, unum RR. PP. B. V. de Monte Carmelo Discalceatorum, à Ferd. II. piæ Memoriæ Rom. Imperat. ob recuperatam ope cujusdam Religiosi Viri Ordinis ejusdem anno 1620. ad Pragam in albo Monte de Comite Palatino Friderico Victoriam, erectum.

Alterum FF. Misericordiæ ex ordine B. Joannis Dei, quorum templum, & Monasterium in honorem S. Joannis Baptistæ sacratum à Matthia Rom. Imp. primò ædificatum, postquam autem anno 1652. in cineres ab incendio redactum fuit, à Ferdinando III. Gloriosæ memoriæ Imperatore Religiosi hi subsidiis pecuniariis ad reparandum ædificium sunt adjuti; ut tamen opus surgeret splendidius, insistens Ferdinandi vestigiis Augustissimus Imperator Leopoldus, spatium iis pro Monasterio non solùm auxit, sed insuper pretiosis reliquiis, Brachio videlicet B. Joannis de Deo sibi ex Hispania submisso, locupletavit.

Suburbium alterum Rossovia dictum, unum numerat RR. PP. Servorum B. V. Templum, & Cœnobium, quod anno 1639. (hoc enim

enim tempore Patres isti Viennam venerant) ligneis adhuc trabibus compactum Sacellum erat, donec ab Octavio Piccolomini Amalphitano Duce anno 1651. festo S. Martini die præsente Ferdinando III. & Eleonora Rom. Imperatrice, nec non Ferd. IV. & Leopoldo nunc regnante Augustissimo Imperatore primus fundamentalis lapis positus, & tam ab eodem, quam Reverendissimo D. Elia Scheller, nec non Cive quodam Viennensi, cui Joanni Thurri nomen, ædificatum, & cursu temporis ad eam, quâ nunc gaudet elegantiam est evectum.

In platea picarum dicta venusta visitur Fabrica RR. PP. SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum Templum, & Monasterium, quod ex angusto quopiam sacello contribuente ad id Augustissimo Imperatore Leopoldo spatio amplo, & domo quapiam anno 1695. quo die ipsa Sacra Cæsarea Majestas primum pro tanto opere terræ mandavit lapidem in Augustam molem exsurgere cœpit.

Ante plateam hanc Templum, & Monasterium est RR. PP. Ord. S. Benedicti de Refor. quod anno 1633. à felicis recordationis Ferdinando II. Rom. Imp. in honorem Magnæ Matris de Monte serrato ædificatum fuit, quia tamen obsidionis Viennensis tempore deletum est, nunc denuo ex busto suo erigi cœptum est.

Ad S. Udalricum præter Ecclesiam Parochialem, RR. PP. Ord. S. Francisci strictioris observantiæ Templum cum Cænobio se viden-

dum objicit: Hoc anno 1600. (eo videlicet anno quo Viennam advenerant) à quopiam Domino Barone de Molar fundatum, & ædificatum eſt. Hi Patres deinde ipſam in Urbem admiſſi, & Templo, ac Monaſterio eleganti ſunt inſtructi.

In Suburbiis Joſephinis RR. PP. Piarum Scholarum Templum, & Collegium poſſident, hoc anno 1698. 2. Septembris ex fundamento erigi cœptum, & ab Auguſtiſſima manu fundamentali lapide decoratum.

In foſſa Argillacea (Laimgrueben) Templum eſt, & reſidentia ut vocant RR.PP. Clericorum Regularium S. Pauli, quos vulgò Barnabitas appellant: Templum hoc à Beatiſſima Auxiliatrice Virgine nomen accepit, quod quidem antea anguſtum, nunc verò multorum liberalitate, & ſpecialiter Celſiſſimi Principis Pauli Eſterhazy Hungariæ Palatini, qui ſummam Templi aram ſumptibus multis conſtrui fecit, ampliatum, & ornatum: exercentur in Templo hoc Parochialia munia, unde & Cœmeterium proprium habent adnexum.

In eodem Suburbio celebre eſt Monaſterium, S. Joſephi RR. PP. B. V. de monte Carmelo Calceatorum. His anno 1360. Rudolphus IV. Auſtriæ Dux Aulam propriam conſignavit, Templum, & Monaſterium exſtruxit, quod etiam ducentis & octo annis incoluerant, verùm ubi ob graſſantes hæreſes, aliásque temporum viciſſitudines Monaſterium deſertum jace-

jaceret, id Ferdinandus I. gloriosæ memoriæ anno 1568. Patribus Societatis Jesu tradidit. Elapsis centum & septem annis Viennam denuò reduces anno videlicet 1661. domos quasdam coëmerunt, & Monasterium hoc, cum Templo ad quod primum Augustus Romanorum Rex Josephus I. lapidem contulit, ædificârunt.

In Widen RR.PP. Ord. Minorum D. Francisci de Paula Templum cum Monasterio elegante retinent, hi à Friderico Rom. Imp. in Germaniam vocati, & in Superiore Austria in varia Cœnobia primùm divisi sunt, verùm ubi ingruente hæresi Monasteria eorum diruerentur, & centeni propè eorundem Patrum occiderentur, iis anno 1624. à Ferdinando II. Rom. Imp. hoc in loco Monasterium ædificandi concessa potestas fuit, ad quod magnum subsidium contulit ipse Augustissimus ille Imperator, qui etiam anno 1630. fundamentalem lapidem terræ mandavit.

In Via Regia RR. PP. ex Ord. D. Augustini Eremitarum pretiosum Templum est, & Monasterium, quod anno 1642. à Ferdinando III. in honorem SS. Sebastiani & Rochi ædificari cœptum est. Templum hoc anno 1656. in cineres redactum longè splendidiùs post ultimam Viennensem obsidionem est erectum.

Claudit Templorum suburbanorum agmen tempellum quoddam minus, quod in Aluatariorum platea extra Stubensem anno

 1673.

1673. in honorem S. Margarethæ à loci illius communitate est erectum. Hæc solidæ sunt pietatis Monumenta, quibus Urbs nostra quasi in monte, & super Candelabrum posita lucet omnibus, impiis quidem ad invidiam, probis ad ædificationem, Orbi in gloriam Universo; Hæc inquam sunt Austriacæ Domûs, & ipsius Urbis nostræ fulcra, & Columnæ, quibus suffulta videntur tam firmiter, ut nullo contrario impetu, nullis ventorum turbinibus, nullis terrarum quantumvis tremendis concussionibus loco moveri, aut vel minimam gloriæ suæ jacturam amittere possint, aut posse videantur. Hæc tandem sunt permansuræ felicitatis certissima argumenta, quibus deinceps in futura tempora magis, ac magis felicitate floreat, eóque suum protendat Imperium Austria, ut de illa, quod sæpiùs vatidico fuit prolatum spiritu, certò prædici queat: *Austria erit in orbe ultima.*



TITULUS IV.

Magnifica Palatia, Diversoria Publica, & Apothecæ.

NOn vanè scriptores extollunt Romam veterem, eámque à suis tam splendore, quàm magnificentiâ insignibus laudant ædificiis, tot Cæsarum jactant amphitheatra, tot

tot auro, cedróque laqueata commendant palatia, ut vel ex iis Romam Urbium fuiſſe Principem non immeritò fatearis, neque nos Urbi illi, quem habuit, & etiamnum poſſidet ſplendorem, invidemus, neque noſtram præferre illi mens eſt, illud tamen non ſine veritate profitemur Viennam decore ſuo, & ædificiorum mole, ac venuſtate nobiliſſimis etiam orbis civitatibus poſſe comparari: tot enim in ea ſuperbæ ſumptibus moles, tot vaſta & immenſis opibus extructa atria, tot propè quot domus, palatia numerantur, ut inter venuſtiſſimas, & populoſiſſimas Urbes non unius Europæ, ſed Orbis propemodum univerſi referatur; Et quamvis pro incolarum copia, quos ultra 600000. complectitur, paucæ fortaſſis videri domus poſſint (nam non niſi mille ducentas triginta & tres, ex quibus Civicæ 930. Liberæ 248. Monaſteria 18. Templa 29. Sacella non annexa 8.) continet, tantæ tamen ſunt magnitudinis, ut plures etiam familiæ eandem incolere commodè valeant, & inhabitare. Nam quot ſpectantur ædes vaſtiſſimæ, quas aulas nominant, quot diverſoria, quot ingentia Principum, & Dominorum Palatia, quorum ſingula ſuo in diſtrictu minores aliorum locorum civitates aut æquare, aut ſuperare poſſe videantur: finem dictioni non facerem, ſi recenſerem ſingulas, poſſem autem omnes, eàsque ſecundùm meritum ſuum dilaudarem, unde ut brevitati & conſuetæ ſcribendi rationi morem geram, aliquas, eásque pau-

cissimas, quæ cæteris aut mole, aut pulchritudine, aut magnificentiâ anteferri possint, placuit enumerare.

Et ut ab Augustissimarum Majestatum Regia initium faciamus, sita est hæc ad portam ab Aula dictam, solem Occidentalem versùs; speciali fossâ, propugnaculis, & custodia defensa, opus & magnitudine & venustate insigne, tres in se continens distinctas Aulas, quarum unam Augustissimus Imperator, Augustus alteram, tertiam Serenissimus Archidux, cum numerosa Ministrorum suorum manu incolit, ædificium formâ quadratâ erectum, amplum includit atrium, quatuor portis, tam pompæ, quàm si necessitas cogeret, militum aliquot millibus opportunum, contignationes in altum numerat ternas, quarum medias occupant coronati vertices, reliquæ illis in usum, qui ab obsequiis pendent Principum, reservantur.

Quorundam Dominorum Palatia Ordine Alphabetico.

PRæter præfatam Regiam, alia reperiuntur Principum, & Dominorum domicilia opere suo & arte celeberrima, de quorum numero delibare potiùs, aut recensere aliqua, quàm describere fusiùs brevitati studentes statuimus, neque illis ista præferre, aut hæc præ aliis negligere nobis mens fuit, sed quemadmodum vel suspeximus,

timus ipsi, vel ab aliis accepimus quædam non singula commemorare, satiùs nos facturos judicantes, si ad ocularem horum experientiam benevolum Lectorem invitemus.

A Principum aulis ordimur, quas inter recensendæ veniunt (præter domum Provincialem) in qua Austriæ Status de Provinciæ negotiis tractaturi conveniunt, sumptibus & structurâ insignem, Equitum item Ordinis Teutonici in platea vulgò Singerstrassen, & Ordinis Melitensium ibidem) Principis de Boquoi, utriusque Principis Gundacari, & Leopoldi de Dietrichstein, quorum primi ad pulchrum fontem, secundi in Dominorum platea est sita. Principis & Hungariæ Palatini ab Esterhasi, Principum Adami de Liechtenstein in platea Dominorum, & alterius Adami de Liechtenstein penes domum Provincialem, ac tertii Hartmanni de Liechtenstein in foro Rusticano. Principis de Monsfeld in alto ponte. Principis Montecuculi post domum Provincialem. Principis de Porcia in platea Dominorum. Ducis Saxoniæ nunc Episcopi Jaurinensis in alto Ponte. Eugenii Ducis Sabaudiæ ad Portam cœli. Principis de Schwarzenberg in foro novo. Celsissimi Principis ac Episcopi Viennensis, ex Comitibus de Harrach penes S. Stephanum. Quæ singulæ vel à magnificentia, vel à statuis, picturis, & Architecturâ celebres Civitatem Illustrem reddunt & exornant.

Neque minùs adferunt Urbi ornamentum Palatia plurima Excellentiſſimorum, & Illuſtriſſimorum DD. Comitum per varias Viennæ partes, fora, & plateas diſperſa, D. Com. Bucelleni aulæ Cancellarii in novo foro. Comitis Budiani in S. Dorotheæ. Capraræ in platea à pulchro fonte nuncupata. Caraffæ in aula Scotenſi. Colaldo in foro ad aulam dicto. Coloredo in Weichport: Corbelli in S. Joannis: DD. Comitum Philippi de Dietrichſtein penes PP. Auguſtinianos. Fünffkirchen in platea inferiori Piſtorum. Ab Harrach penes Monaſterium Scotenſe. D. Com. ab Hamelthon ad mœnia in Einfalt-Straſſen. Comitum de Hojos non procul ab hujus ad mœnia protenſa. D. Com. de Jörger in platea ſimplici vulgò Einfalt-Straß. D. Com. de Kauniz infra domum Provincialem. D. Com. Kinski in Cœmeterio S. Petri. D. Com. de Lamberg in Walnerſtraß. Com. de Martiniz in foro Carbonario: D. Com. de Molart in Dominorum platea: Gen. de Obizi penes PP. Auguſtinianos: Gen. de Palfi non procul à domo Provinciæ. D. Com. de Rabbata in platea Wohlzeil nuncupata: Com. de Roſenberg in Dominorum platea: D. Com. de Rottàl in Cantatorum platea: D. Com. à Sallaburg in S. Joannis. D. Com. de Sinzendorff penes domum Provincialem. Com. Starenberg non procul ab eadem. D. Com. de Stratmon ibidem. Com. Strozi non procul à præfatis, D. Com. Tſchernini in alto ponte.

Com.

Com. de Traun in Dominorùm platea. D. Co. de Trautmanſtorff in eadem. D. Com. Trautſon in platea Dominorum, & alterius D. Com. de Trautſon in platea Breineriana. D. Com. de Völkerer. Com. de Weiſſenwolff. D. Com. de Wallenſtein è regione Monaſterii Scotenſis. D. Com. de Windiſchgraz penes PP. Minoritas, & aliorum quàm plurimorum, quæ referre omnia nihil foret aliud, quam volumen implere domibus, & in infinitum excurrere referendo; quamobrem privatas aliorum Dominorum ſilens prætereo ædes nobiliſſimas, quarum Viennenſis Urbs tot continet ad ſui propè invidiam, quot domus univerſim, ac proinde eas nunc ſolùm proferemus, quæ linguâ noſtrâ ob magnitudinem ſuam, & vaſtitatem aulæ nativo ſermone Höff appellantur poſtea, de publicis & ad commoditatem omnem inſtructis diverſoriis dicturi, ſunt autem aulæ hujusmodi per urbem celebriores viginti.

Aula Epiſcopalis penes S. Stephanum, Paſſavienſis ad gradus B.V.: Clauſtro-Neoburgica è regione armamentarii Cæſarei, aula ad S. Dorotheam, Gundeliana penes Brandſtatt, Gammingeriana, aula S. Crucis non procul à Templo Collegii Soc. Jesu. Ducumburgenſis in platea S. Annæ, Celleriana vulgò Cöllner⸗hoff in ſuperiori Piſtorum, Campililienſis in platea Weichburgenſi: S. Margarethæ in foro vetere Ruſticorum: Madlsbergenſis: Melicenſis penes Monaſterium Scotenſe, Mariæ Cellen-

ſis,

ſis, in S. Joannis platea: Neomontana in platea Scholaſtica. Ratisbonenſis in platea Piſtorum: Scotenſis in ipſo Monaſterio. Seizeriana ad portam Pallerianam, Styrenſis in Carinthiaca platea, Zwetlenſis penes B. V. ad gradus, Zwölfferiana in foro antiquo lanionum. Quæ omnes à mole, vaſtitate, incolis, & decore clariſſimæ ſuperbis aliarum urbium aulis, & domiciliis in comparationem venire poſſe, eáque aut ſuperare, aut æquare non ambigimus.

Succedunt his ordine & dignitate ſuâ copioſiſſima diverſoria, & hoſpitia publica, tam civibus quàm exteris & è locis diſſitis adventantibus peropportuna, in quibus quidquid vel ad neceſſitatem, vel ad commoditatem exigitur, dato ad id pretio comparatur.

Ad aquilam nigram, ad aquilam flavam penes turrim rubram, ad aquilam auream in novo foro, ad anatem auream, ad arborem viridem penes Cancellariam Imperialem, ad arborem viridem ubi lupus anſeribus prædicat, ad Angelum aureum, ad anſerem aureum è regione rubræ turris, ad agnellum aureum in alto ponte, item ad agnellum aureum in platea Clavigerorum, ad anguem aureum vulgò Stindlwirth / ad bovem album in foro vetere vulgò Fleiſchmarck, ad botrum aureum in foro ab aula dicto, ad crucem auream penes rubram turrim. Ad 3. coronas aureas ibidem. Ad Crates non procul ab armamentario navali. Ad cygnum in Carinthiaca, ad Cetum in der Bruger=

gerstrassen/ ad cervum aureum penes rubram turrim in aula Dempfingeriana, in aula Doctoris Lozen, ad Elephantem nigrum è regione rubræ turris, in aula à piscibus vulgò Fischhoff dicta, ad gryphem aureum in Carinthiaca. Ad Gallum album in fossa profunda, ad globum aureum in foro aulæ. Ad Hircum cœruleum penes portam Stubensem, ad Euclionem aliàs Küssen-Pfenning ad rubram turrim. Ad tres lepores in Carinthiaca, ad Leonem aureum ibidem, ad Leonem album in Salzgrieß/ ad lupum Candidum in foro veteri vulgò Fleischmarck/ in aula Matschakeriana. Ad pavonem aureum in Carinthiaca, ad portam nigram penes domum Provincialem, ad pomum aureum in platea angulus porcorum dicta, ad rosam albam in platea pistorum, ad rosam auream in S. Joannis, ad stivam auream in platea Clavigerorum, ad solem aureum è regione rubræ turris, ad stellam albam penes 7. libros, ad tres secures penes Monasterium Scotense, ad Satyrum in Carinthiaca, Ad SS. Trinitatem in platæa Judæorum. Ad ursum aureum in foro lanionum vetere. Ad ursum nigrum auff dem Ludweg/ ad venatorum cornu aureum penès Sanctam Dorotheam. Sunt quidem plura adhuc Viennæ diversoria, quia tamen præfatis & commoditate & celebritate non paria, hic illis enumerandis supersedemus. Et quoniam de domibus illis, in quibus sanis alioquin, & bene valentibus prospicimus corporibus, disseruimus,

mus, restat, ut & illas recenseamus, in quibus ægrota refocillentur, aut restituantur, quem in finem varia per Urbem necessariis omnibus pro morborum diversitate instructa, erecta sunt pharmocopœia, seu Apothecæ, & quidem præter illas, quas suis in Collegiis, aut Monasteriis Religiosi, propriis in domibus Domini alii in usum proprium conservant, aut in aliorum commodum instituerunt, præcipuæ magìs, & notæ numerantur sequentes.

Ad nigram aquilam penes aulam Imperatoris. Ad Angelum album non procul à porta Palleriana. Ad Æthiopem è regione domûs Justitiæ, quam Schronam nuncupant. Ad cancrum rubeum in foro alto. Ad Coronam auream in fossa. Ad cervum aureum ibidem. Ad Ciconiam candidam in Cœmeterio S. Petri. Ad Gryphem aureum è regione Aulæ Episcopalis. Ad Leonem aureum è regione S. Stephani. Ad S. Spiritum in Hospitali Civico. Ad Tygridem in Carinthiaca. Ad Ursum nigrum in Lubweg.



TITULUS V.

Urbis Plateæ, & quæ in iis spectanda.

TRiumphabat olim vetus Roma, quòd tot, & tanta complexa sit suo in gremio fora, & compita, tot vias, ac plateas, per quas

quas victrices de hostibus Duces magnificâ pompâ inveheret, & gloriosas aquilas lætabundis Quiritibus ostentaret: quam gloriam ne soli concederet Vienna Romæ, amplas & ipsa per Urbem plateas, ampla adornavit compita, eáque quasi semper triumphatrix raro spectaculo ardentibus per noctem Lichnis instruxit, ut tot in iis arderent accensæ Lampades, quot cœlum sydera exornarent, ut vel in hoc Romano fastui excitaret invidiam, & quod Urbi illi festivum erat, huic fieret quotidianum. Dividitur autem Urbs in partes quatuor, quæ potissimum à præcipuis Viennensis Civitatis portis suum sunt nomen sortitæ, in his plateæ numerantur plurimæ, fora tam majora, quàm minora non pauca, quæ pleraque à rebus inibi venalibus, situ, novitate, aut domo quapiam sunt appellata: partibus singulis, singuli præsunt præfecti, quorum officium est, hostiles impetus, incendia, aliáque incommoda avertere, & partium suarum commodum, & utilitatem promovere, quam ob causam Centuriones sibi habent adjunctos, qui per milites suos noctibus, æquè ac diebus servent vigilias, lustrent plateas, lites omnes, & rixas componant, ex quibus tantum, quem videmus ordinem, & optimam Urbis compositionem oriri est necesse. Ut autem, quod titulo isto promittimus exequamur partes singulas, in quas Urbs tota divisa est, ordine debito perstringemus.

Pars

Pars prima à porta ſibi cognomine Stubenſis dicitur, ac plateas continet, ordine, quo referimus, ſequentes: à rubra turri ad domum Pragenſem, quam ſalinariæ rei Præfectus incolit, catorum eſt ſemita, hinc ad forum altum Judæorum Plateola à copia habitantium olim inibi Hebræorum dicta extenditur, à foro alto ad lanionum officinas via lucida Liechten-Steg / ſequitur hanc coquorum uſque ad crucem auream. Mercatorum uſque ad cellarium à mulſo nuncupatum, è regione Lanionum, in Lubweg locus dicitur, ubi equi conductitii reperiuntur, hinc deſcendendo ad anſerem aureum forum lini à venali lino dictum ingredimur, poſt quod ſuo ordine venit platea auff den Steig vocata, quæ ad rubram turrim excurrit, Wollzeil ad domum mercatoriam quam ab acri angulo zum Scharffen-Eck nominant, extenditur, quam Stubenſis excipit, Piſtorum anterior dicitur ea, in qua domus ab olente verme viſitur, inferior verò, quæ ad Collegium PP. Societ. protenditur, ad S. Crucem parva, & anguſta plateola eſt, quæ ab hac ipſa aula nomen ſuum deſumpſit: excipit hanc ab albo bove platea major, forum vetus Lanionum appellatum, ex parte altera, à domo quadam Civitatis in præfato foro poſita ad nigram aquilam uſque protrahitur platea, quæ vulgò porcorum angulus (Sau-Winckl dicitur) Sanctæ Barbaræ platea penes Cæſareum Convictorum Collegium anguſta eſt, major illa, in qua celebre

bre eſt RR. PP. ex ordine S. Dominici Prædicatorum Cœnobium, quæ idcirco forum Prædicatorum appellatur: claudit tandem partem hanc plateola figulorum, quæ ad nigram aquilam longitudine ſuâ excurrit.

Altera pars à Carinthiaca porta nomen traxit, hásque quas ſubnectemus, ſub ſe plateas continet: ſumit autem initium à Gallinarum plateola penes forum altum, ubi cancri venales exponuntur, & in nominata proprio vocabulo Kluger-Straſſen terminatur, quas inter numerandæ veniunt, marſupiorum platea vulgò Taſchen-Gåſſel penes viam lucidam, à læva fori alti (venduntur hìc omnia ea, quæ quotidiano inſerviunt uſui (Tuchlauben, Cæmeterium S. Petri; ubi alatilia vicinis ex provinciis advecta, ſumma in copia diſtrahuntur, forum Ruſticum, ſic à rebus ruſticis, quæ ibi divenduntur, appellatum. Corona Regia (Land-Cron) Monetaria platea, ad Cæruleum Dominum Deum, Brandſtatt / quod à combuſtis olim ædibus ſervavit nomen, plateola ad rubram Crucem, & Scholaſtica à dextris, Rumpff-Gåſſel / novus mundus, ad S. Jacobum parva plateola, Lorariorum, cum quadam minore ſibi conjuncta (Fůltz-Gåſſel) Platea à cantando nuncupata, ex utraque parte protenſa ad viridem anchoram, lactea platea, Cœmeterium S. Stephani, in vetere foro equorum, ubi lignea vaſa venduntur à læva, utì & Carinthiaca à ſiniſtris ad portam uſque, Weichen-

 burg/

burg/ in Däcken / in Steig penes domum officii (Ambthauß) platea ad portam cœli, ad durum lapidem, seu Rauchenstein / ad ferreum pyrum, S. Joannis & S. Annæ plateæ.

Tertia pars in quam Urbs dividitur, quam ob causam non constat Wübmeriana dicitur, & à foro Coriario, seu à septem domibus tenet principium, suóque ordine plateas numerat, Tinctorum, forum Judæorum à Castaneis ibi venalibus celebre, Aulam à Ducum Austriæ Regia, quam olim ibi habebant nominatam, & à binis per annum, tempore Pentecostes, & D. Catharinæ nobilissimis nundinis dilaudatam, Judæorum, seu currentium ad serpentem aureum. Seizerianam, Schulterianam plateolam. A dextris forum altum versùs ad partem hanc revocantur Wildwerchiana, & pars infra Tuchlauben appellata usque ad Seizerianam aulam, locus infra Ephippiarios, & Umbilicarios (Spängler) fossa profunda, hinc deorsum à læva Haidenschuß/ arcuariorum & claviariorum à sinistris ad rotulam, turris Paulina: præterea huc revocantur plateolæ Pater noster, S. Petri è regione aulæ Seizerianæ, Cœmeterium S. Petri post aurifabros usque ad aulam Freysingerianam, forum equorum, Rosa rubra penes Stock in Eysen / fossa ubi præter colossum SS. Trinitatis, de quo alibi, visu dignus est Elephas ille in domo quadam ad coronam auream incisus, quem ob ingentem suam magnitudinem anno 1552. Maximilianus Bohemiæ Rex


ex

ex Hiſpaniis dono accepit, populo ſpectandum exhibuit, & ſuppoſitâ tam Latinâ, quàm Germanicâ inſcriptione huic domui inſculpi voluit: fabrorum plateola: forum Carbonarium à læva ad S. Michaëlem, Superior Preineriana, cum inferiore, quam rubram, ſeu Rothgaſſen nuncupant, platea item ad S. Dorotheam, vetus porcorum forum: platea ſpeculorum poſt Sanctam Dorotheam, Roſarum à bove aureo ad tres Reges protenſa, funificum platea penes tres Reges, Stock in Eyſen / Carinthiaca à dextris uſque ad portam, claudit partem hanc forum novum.

Ultima pars Civitatis Scotenſis appellata ſuo in diſtrictu recenſet Kienmarck uſque ad forum altum à dextris, & ipſum ex eadem parte altum forum uſque in aulam montanam (Berghof) arenam Salinariam (Saltzgrieß) gradus Piſcatorum, & fontem piſcium (Fiſchbrunn) complectitur deinde Wildwerchianam à dextris ad pontem altum, unà cum ipſo hoc ponte, gradus B. V. In arena ſalinaria verò totum ſpatium deorſum à loco beym Wolffen in der Au dicto. Aurifabrinam, è regione armamentarii navalis in exilio nominatam, foſſæ profundæ partem dextram uſque ad Vindicias (Freyung) & hinc uſque ad Balneatorum plateam, aliam præterea à currendo nuncupatam (Renngaſſen) Einfalt / & Roſarum plateas unà cum anteriore Schenckſtraſſen à domo Principis Montecuculi ſurſum, continet prætereà Anger / alte-

rámque Schenckstrassen / usque ad domum Principis de Liechtenstein protractam; Cœmeterium ad nigram portam, plateolam Stramineam, & majores alias Dominorum, & palarum (Schauffigassen) post S. Pancratium plateas Claviariorum, & forum Carbonarium à dextris usque ad aulam Cæsaream, & desinit pars tota in Walchstrassen / & foro Lini.

Et quoniam partibus his subordinata sunt ipsa Suburbia, æquum esse judicavimus, ut ad titulum hunc, quod parti cuivis respondet, reducamus, ac à Stubensi, cujus primâ vice meminimus inchoando, hæc sub se continent viam Regiam, Alutarios, inferiorem Wörth & Leopoldinam, ad Carinthiacam refertur cum Wieden / quidquid torrens Vienna dictus à sinistris alluit; Wübmerianæ parti subjacet fossa lutea (Laimbgruben) & quod à dextris Viennæ fluvii situm est, Schöff / Vicinia ad B. Virginem Auxiliatricem, & Spitelomontium, Spitlberg. Reliqua videlicet in monte, & agris Scotensibus sita, Picarum platea, Währinga superiore, Wörth / Rossavia, Aurigarum, Servitarum, Hortulanorum plateæ, utì & illa in qua Judæorum est sepultura, ac rivum versùs à picis dictum, cum Spitelovia Scotensi Quadranti sunt adscripta.



TITU-

TITULUS VI.

Coloſſi, & Statuæ per Civitatem erectæ, & prodigioſæ Imagines Religioſè cultæ.

SOlebant Ægyptii, ut immortale ſibi apud poſteros nomen compararent excelſos per urbium compita Coloſſos, & Pyramides erigere, in quibus aut fictitia ſua adorabant Numina, aut mortuos Reges ſuperſtitiosâ religione ſepelirent. Quem morem imitati populi alii, ut & famam augerent ſuam, Urbésque ſuas redderent glorioſas, diverſas per fora Columnas, diverſas in Columnis Statuas exſtruebant, quæ vel in triumphantium Belliducum æviternam gloriam, vel in Deorum, Dearúmque ſuarum honorem erigebantur. Vienna ut nobiliſſimarum quoque Civitatum veſtigia premeret, ac velut apis ex floribus non niſi ſuaviſſimum mel colligeret, prætcritis, aut ſuperſtitionis, aut Ethnicæ perfidiæ monumentis, iis ornata triumphat Coloſſis, & Statuis, quæ ex Maieſtate, & decore, ſumptibus, & impenſis famam, & memoriam merentur ſempiternam.

Numerat autem Urbs tota non niſi binas, quas pietate, & cultu, & religione in Superos Glorioſiſſimus Imperator Leopoldus, Cæſareâ, id eſt Munificentiſſimâ liberalitate, & affectu erigi fecit, & ædificari. Prima, quæ & ab arte, & magnificentia commendabilis, in foro cui ab

aula antiqua nomen, è regione faciei Ecclesiæ Domûs Professæ erecta est, tota ex ære fuso, & deaurato posita anno 1667. Immaculatæ Dei Genitricis statuâ ex Metallo eodem conspicuâ. Solent hìc in festorum Magnæ Matris Vigiliis, festísque diebus coronati vertices non modicâ sui in Virginem illibatam amoris contestatione, ædificatione populi, hæreticorum consternatione, colla, & genua flectere, cantatis interesse Litaniis & precibus, & publicas decorare hanc ad columnam Processiones.

Altera, quam idem Augustissimus Imperator Leopoldus magnis exstruxit impendiis in foro à fossa dicto conspicitur. Opus est omnium judicio Romanorum dignum Imperatore. Columna per modum pyramidis prominentibus undique artificiosè nubium globis, & superimposita cuspidi fulgentibus auro radiis, SSS. Triade in signum gratitudinis ob depulsam gravem luem, quæ Viennensium Urbem anno præteriti sæculi 79. graviter corripuit, in honorem Unius, & Trini Numinis est erecta. Posuit Augustissimus ipse 30. Julii 1682. magnâ solemnitate fundamentalem lapidem, cui anno post decimo, nempe 1692. moles tota, quam artificiosissimus omnium illo tempore statuarius elaboraverat, ipso Festo SSS. Triadis die innumero populi admirantis, & obstupescentis accursu, conjuncta, ritu solemni à Reverendissimo Viennensium Episcopo ter uni Numini est consecrata. Ardentes circum lampades, & constans

ſtans alternantium militum Cuſtodia, operis non modicè augent Majeſtatem.

Subnectimus his binos Coloſſos alios, qui binis in fontibus poſiti magnam viciniæ ſuæ conciliant venuſtatem. Fons unus è regione Cervi aurei in foro, cui à foſſa nomen, poſitus, & mole, & gratiâ eſt inſignis, profluit è quatuor Leoninis capitibus in ſuppoſitam Concham aqua: in ſupremitate S. Chriſti Nutritium eleganti in ſtatua continet, dextrâ Lilium, ſiniſtrâ cor tenentem, & quaſi per aquarum profluvium, gratiæ rivos effundentem.

Fons alter penes Coronam auream in foſſa eadem ex octo lapideis capitibus, & quatuor Delphinis aquam in excavatam Concham protrudit: ſtatuâ D. Leopoldi dextrâ Eccleſiam, lævâ vexillum ſuſtentantis eſt inſignis.

Sed habet Viennenſis Urbs præter dicta pietatis Cæſareæ Monumenta plurima tam intra, quàm extra Civitatis muros Palladia, quibus non tam defendi, quàm ornari Urbem neceſſe eſt, non multa templa reperies, quæ prodigioſis non abundent Dei, Divorúmque imaginibus, in quibus cœlum ſuam oſtendit virtutem, potentiam exhibet copioſis: quas ſi enumerare vellemus, templa ferè ſingula recenſere foret neceſſe, eas ſolùm adferemus; quæ magis per Urbem, & Provinciam celebres frequentiori hominum concurſu, & devotione coluntur.

Ad S. Stephanum miraculosa servatur Deiparæ imago, quam à loco, unde allata Beatæ Virginis in Boëz nominamus, multis imago hæc post fusas lacrymas clara prodigiis, ingenti hominum copia quotidie visitur, ac solemni quotidiè Sacro, & Litaniis, sæpius etiam tubarum, tympanorúmque clangore, ac publicis ad eam ex aliis locis Processionibus honoratur. Ostendunt id sufficienter suspensa anathemata, quæ sinè numero ad ejusdem Aram afferuntur. Est & alia non minùs celebris B. Virginis in eadem Basilica Imago, cui etiám anno elapso novum ex Marmore est erectum Altare.

In Aulico RR. PP. Ord. S. Augustini Templo prodigiosa Deiparæ Virginis Lauretanæ Imago, & Sacellum est, tam horrore sancto, quàm pietate plenum: pendent ante hanc plurimæ argenteæ lampades, molis non exiguæ, quas multorum in Divam Virginem obtulit affectus.


Alia Beatissimæ Virginis sub tituto Auxiliatricis non modicâ pietate, & devotione videtur celebrari in Neubau/cujus cultum promovere strenuè adlaborant RR. PP. Ord. Cleric. Reg. D. Pauli, qui inibi residentiam, ut vocant, habent, dum quotidianis Sacrificiis, festis Concionibus, &c. Populi in Patronam suam amorem conservant, & inflammant.

In Suburbiis ad S. Udalricum in Templo Parochiali Deiparæ Imago plurimis clara miraculis colitur, quam ante elapsos duos annos in pub-

publica Processione multitudine innumerâ comprecantium circumferri, ac ad Templum RR. PP. Ordinis S. Benedicti ad Scotenses portari ipsa vidit Civitas Universa.

Alia demum ejusdem Thaumaturgæ Virginis prodigiosa Statua, & per alias nota terras in Hiezing / non procul à novo Romanorum Regis Palatio in Templo pro hominum affluentium multitudine nimium angusto conspicitur, quæ à pluribus RR. DD. Canonicis Reg. Claustro - Neoburgensibus Ord. D. Aug. hìc habitantibus administratur.

Plures tam intra, quàm extra Civitatem, & singulis propè in Regularium Templis Divinæ reperies misericordiæ, quæ per Matris suæ, aliorúmque Sanctorum Icones, & Statuas liberalissimè profundit, argumenta, quæ tamen, quia copiosa nimis, ne molestiam causemus Lectori, prætermittimus.



TITULUS VII.

Officinæ variæ, Campsores, & Aurarii.

QUantum communi bono utilitatis, Civitatibus, imò & Provinciis integris splendoris afferant commercia publica, & Mercimonia, testantur adhuc hodie tot Respub-

publicæ in florentiſſimum Statum eve&tæ, ditata æraria, Principes, & Cives locupletati, ut ob id inutile fore judicarem, ſi pluribus id oſtendere laborarem: vel ſola Vienna noſtra ad eas proveca opes, & opulentias, eóque conſpicua honore, & gloriâ id abundanter oſtendit, quam, quòd futuris conſervabit temporibus, argumento ſunt, tot Mercatorum nobiliſſimæ officinæ, quot in aliis etiam ampliſſimis Urbibus vix reperies; nam ſi eas tantùm, quas muri Civitatis includunt citcuitu, computemus, numerum ſanè non exiguum inveniemus. Introducta autem ſunt Mercimonia hanc in Viennenſem Civitatem, ut inquit Lazius l. 2. c. 8. an. 1100. quæ tamen ob conceſſa à Ducibus ſuis maximè Leopoldo VI. Privilegia varia anno 1200. florere magis, ac magis inceperant, donec ad ſtatum hunc, quo jam ea vigere videmus, pervenerunt. Et, ut ab iis initium faciamus, in quibus merces non quidem per officinas publicas venales quotidie proſtant, ſed à quibus mercatores cæteri, quibus emptas menſurâ, vel pondere diſtrahere mos eſt, ac ulnatim, libratímque divendere, res coëmunt, & quos idcirco vulgus Niderläger appellat, quadraginta & octo numerantur eorum officinæ, una in buſto (Brandſtatt) in foro Judæorum binæ, in Kienmarck 4. in aula una, in Wolzeil duæ, in inferiore Piſtorum platea 3. in plateola S. Crucis 1. in vetere lanionum foro undenæ, 7. in Carinthiaca, in foro alto 1. In aula cui à Gundl nomen eſt, qua-

quaternæ, in fossa 1. in aula Kelleriana duæ, in vetere Rusticorum foro octonæ.

Aliæ Mercatorum pannos, sericeásque materias secundùm ulnas divendentium officinæ, quas idcirco Tuchläden nuncupant, recensentur in Cœmeterio S. Petri septem, in plateola Virginum binæ, in foro novo 1. in Carinthiaca 15. in foro alto 10. in Tuchlauben 8. in foro herbario 12. in foro Carbonario 1. in vetere Rusticorum 2. quæ numero suo conficiunt 58. Aliæ in quibus aromata, aliáve distrahuntur, & ob id officinæ aromaticæ dicuntur, diversas per plateas & fora habentur 49. in platea Wipplingana 1. in aula 1. in Haidenschuß 1. in fossa profunda 1. in Cœmeterio S. Petri ternæ, in plateola, cui à piliatoribus (Hutstöpper) nomen est una, in foro novo itidem una, in Wolzeil binæ, binæ etiam in Pistorum inferiore platea, in plateola ad S. Crucem totidem, in laniorum vetere foro non pauciores, in Carinthiaca decem & sex, in foro alto 4. in Tuchlauben ternæ, in fossa quinque, in Carbonario foro una, & tandem in vetere Rusticorum foro ternæ. Officinæ eorum, quos vulgari nomine Materialistas compellant, qui res varias pretiosas omnis sortis distrahunt, sunt ad Portam Paulanam 1. in Carinthiaca binæ, binæ item in foro à fossa dicto, & 1. in Cœmeterio S. Petri. Officinæ, ubi res ferro elaboratæ venduntur, & quarum Mercatores ferrarios (Eyßler) nuncupant, in platea Carinthiaca habentur 13. Librorum offici-

ficinæ, quibus Bibliopolæ præſunt, tredecim univerſim per Urbis diſtrictum computantur, in platea à S. Dorothea dicta 1. in buſto 1. in claviariorom platea 1. in Cœmeterio S. Petri 1. in Kienmarck 2. in plateola pileatorum 1. in Carinthiaca 1. in foro alto 1. in foſſa 1. in foro Carbonario 2. intra catenam 1.

Sunt & officinæ aliæ his inferiores propè innumeræ per plateas omnes diſperſæ, eorum, qui auro argentóque ſericeæ materiæ intertextas res diſtrahunt 20. qui diverſa veſtimenta ſericea tam acu picta, quàm contexta unà cum pretioſis ligaminibus vendunt 63. Qui Telæ diverſæ ſortis monopolia tractant 21. &c. ſed hæc omnia attingere potius, quàm ſuſiùs enarrare placuit.

Neque hìc prætereundæ ſunt officinæ eorum, quæ auro argentóque divites, tam arte, quàm pretio celebres in ſe continent, raráſque merces; qui iis præſunt, communi voce Argentarii, vel Aurarii (Gold-oder Silber-Jubilier) nuncupantur. Primariæ ſex recenſentur in foro Carbonario non procul à Porta Paulana, altera propè aulam Cæſaream, tertia in S. Petri Cœmeterio, quarta in foro ab aula antiqua dicto, quinta propè domum Profeſſam ad Serpentem aureum, ſexta in via lucida. Continuamus titulum iſtum referendo domus eorum, quos Campſores nominamus, quorum quia indies ita augetur numerus, ut certus definiri nequeat, eos hìc ſolùm adducemus, qui alio-

liorum opinione habentur celeberrimi, & quorum nomina aliis etiam in Provinciis magis habentur familiaria, & famosa, ut sic nulla ex parte destituamus Lectorem in iis, quæ eum pro Viennensis Urbis gloria summopere nôsse juvabit. Bini in vetere Rusticorum foro inveniuntur, in fossa unus, in inferiore Pistorum platea alter, alius in S. Petri Cœmeterio, in aula quapiam Söderlhof dicta item unus, in Corona Regia (Landscron) unus, è regione Sancti Stephani unus, alter non procul ab eodem S. Stephano in domo à potu Turcico Cavè celebri, alius aulam Gundelianam, alius Kellerianam, alter demum Ratisbonensem aulam incolit. Tandem ad Titulum istum reducimus domum Monetariam, tum illam, quæ intra Civitatis muros non procul à S. Stephani visitur, tum eam quæ extra muros in Civitatis fossa est sita, in hac argenti, aurique metallum in massam liquefit, & debitè ad Monetariam formam recipiendam disponitur, in illa verò ipsa pecunia, eáque tam aurea, quàm argentea efformatur: præ reliquis videre arridet aureorum, Imperialiúmque, utpote quorum labor est major, efformatio, licèt utrumque non cum exigua delectatione, & admiratione intueamur.



TITU-

TITULUS VIII.

Tribunalia, & Instantiæ diversæ.

QUod in Eleganti corpore est variis exculta dotibus anima, hoc in augusta & splendidis ædificiis celebrata civitate est Justitia; quemadmodum enim sine illa genarum rosæ in pallorem, labrorum corallia in abominationem, oculorum scintillæ in caliginem, & omnis cultûs decor in nauseam mirabili metamorphosi transmutatur, sic sinè hac Magnificentia in contemptum, Majestas in fastidium, tota gloria & splendor cedit in derisum: Quare ne mutilatus, aut nullus esset Viennensis Urbis decor, & gloria; ita commiscuit externam pompam interno regimini, ut adamantino sibi connexa vinculo omnium opinione crederentur, ut vel sic aut falsum esse Poëtarum dicam figmentum, qui justitiam excessisse à terris fabulantur, aut Viennam Cœlum esse, in quo suam Astræa locâsset sedem, Vatidico, ut volunt spiritu, profitentur. Diversa itaque, sibique subordinata hac in Urbe sunt erecta Tribunalia, in quibus secundùm fas omne, & æquum deciduntur, & componuntur lites, prœmiantur honesta facinora, delicta puniuntur: quæ omnia, quoniam Urbi nostræ ingentem addunt gloriam, brevi pennâ perstringam. Quòd si forsan non ad eum ordinem, qui cuivis compe-

teret,

:eret, ea redigamus, nolumus ea in re ullum fa-
:ere præjudicium, aut unum, majus altero, di-
gniúsque proclamare, sed singulorum solùm
referre negotia, & publicam authoritatem.

Tribunalia Cæsarea numerantur tria, I. Consilium Imperiale Aulicum, in quo causæ solius Romani Imperii, & quidquid ad illud pertinet, agitantur. Habet hæc Præsidem suum aliósque non pro necessitate solùm, sed splendore quàm plurimos, qui & sapientiâ & virtute clarissimi nôrunt gravissimas causas discutere, easque pro Imperii Romani Majestate, ac decentia complanare.

Alterum est Consilium Aulæ Mareschallicum, quo Cæsarei, Regii, & Archiducales Ministri, & Officiales cum causis suis, & litibus referuntur. Tertio loco Consilium Bellicum numeratur, in quo generales, & supremi æquè, ac infimi exercitûs Officiales, Militésque omnes gregarii, tam ii, qui per militare Sacramentum ducibus suis fidelitatem spoponderunt, quàm ii, qui Martis experiundi gratiâ, aut Provincias visendi causâ his se aggregârunt, eorúmque causæ aguntur. Accedunt Commissariatus, bellicique Commissarii, uti & Mercatores, quos vulgò Marquetanter appellant.

Regia Tribunalia reperiuntur bina, quorum primum Hungarica Cancellaria nominatur. Referuntur huc omnia, quæ tam superiorem, quàm inferiorem Hungariam, ac ea, quæ

Re-

Regna Croatiæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ, ac Tran ſylvaniam contingunt.

Cancellaria Bohemicâ incorporatarun ſibi præter Bohemiam Regionum, ac Provinciarum cauſas tractandas ſuſcipit. Moraviæ nempe, inferioris, ac ſuperioris Sileſiæ, quo etian utraque Lauſnitia, cum Comitatu Glozenſi, &c reducitur.

Separatas ab his Inſtantias, ac Tribunali Viennæ habet Auſtriæ Archiducatus, quæ idcirco Archiducalia ordinario nomine compellantur, has inter intima Cancellaria numeranda venit, quò cauſæ omnes unitarum, ac Hæreditarum ſpectant Provinciarum decidendæ utriusque videlicet Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ Carnioliæ, Comitatûs item Tyrolis, Alſatiæ, &c.

Præter has Inſtantia prima Regiminis eſt, ad quam in temporalibus etiam terna Conſiſtoria, Viennenſe, Paſſavienſe, & Univerſitatis reducuntur. Tribunali huic ſuprema in præfatas Provincias conceſſa poteſtas eſt, neque communes ſolùm, ſed & privatas Incolarum, ac aliorum cauſas diſcernit: quem in finem diverſis ex Statibus apta deliguntur ſubjecta, ex Statu Comitum & Baronum videlicet, Equitum, & Doctorum, qui ſecundùm jura cauſas decidant, & ſuam opinionem ediſſerant, præſident tamen Regimini huic Excellentiſſimi Urbis Locumtenens, & Cancellarius, quorum officium eſt alio-

aliorum ſenſus audire, & decretivâ ſententiâ ſtabilire.

Alterum Tribunal priori & loco & dignitate, utì loquitur Lazius lib. 3. cap. 3 ferè par, Cameraticum, ſeu Fiſcale nuncupatur, in quo rationes pecuniariæ ſuſcipiuntur, & confirmantur, Provinciarum, Civitatúmque adminiſtrationes, officiorum ſtipendia, & ſalaria ſtatuuntur. Conſtat Tribunal hoc viris nobilitatis, & Arithmeticæ ſcientiâ inſignibus, quibus Archi-Ducis loco Cameræ Præſes, Romanis olim ærarii Præfectus appellatus, præficitur.

Aliud eſt Tribunal Provinciæ Mareſchallicum, ad quod Provinciales Auſtriæ referuntur omnes. Conſurgit ex triplici Prælatorum videlicet, Dominorum, & Equitum ſtatu, ſuum & hoc habet Præſidem, quem Mareſchallum, qui Romanis olim Præfectus Prætorii vocabatur, nominamus, huic de Provinciæ, ac Particularium ejusdem perſonarum negotiis tractare convenit, in Comitiis locum primum obtinet, & quæ pro communi bono expedire videntur, ſecundùm æquum decernit, ſubordinatum tamen hoc Tribunal eſt Regimini, ad quod partes litigantes ab illo quandoque appellant.

Præter præfata Tribunalia alia adhuc Viennenſis Urbs memorat, quorum adminiſtrationes à ſupradictis ſunt ſeparatæ, Conſiſtorium videlicet Paſſavienſe, Viennenſe, & Univerſitatis, bina priora, quæ Eccleſias proprias, Parochos, Caſus conſcientiæ, aliáque ad com-

 munem

munem ædificationem, fidei Catholicæ augmentum, animarúmque bonum concernunt, examinant, leges condunt, lites componunt, &c. Qui Consistoriis his præsident Celsissimorum Episcoporum utriusque Diœcesis, sunt Officiales, habéntque singuli Notarium suum & Assessores. Consistorium Universitatis forum speciale habet, ídque mixtum, non solùm quoad Jurisdictionem, aut Judices, & membra, sed etiam quoad causarum criminalium, & civilium cognitionem absolutam, & jus membra sua excommunicandi, & absolvendi, sibi à Pontificibus concessum. Vid. Bullam Martini Rom. Pont. Florentiæ 6. Calend. Jun. anno 1420. emanatam. Ad hoc Consistorium pertinent, omnes illi, quotquot ad artes liberales referuntur, & ab Alberto Contracto, & Rudolpho IV. Austriæ Archiducibus 1360. constitutum est, ut Lazius lib. 3. c. 2. Primum, quem caput Consistorii venerantur, Rectorem Magnificum appellant, qui quatuor Facultatum Decanos, & totidem Nationum diversarum Procuratores, aliósque Consistoriales sibi habet in Consistorio Assistentes, de quibus omnibus titulo *Universitas* pluribus.

Aliud denuò Tribunal est Magistratus Civici, ad quod Cives omnes tam intra, quàm extra Urbem degentes pertinent: Habet hic Magistratus Consulem & Judicem, illius est res testamentarias, & Codicillos approbare, rejicere, Tutores constituere, Civitatis commoda procura-

curare, mala avertere, &c. hujus verò causas criminales examinare, debita, aliásque lites componere, &c. Cuivis Curia specialis, & 12. Senatores assignati sunt, quibus Principis loco assignatus est unus, quem Civitatis Vicarium, vulgò Stadt-Anwalt/ appellant.



TITULUS IX.

Litteræ, & Universitas.

QUanto jam à primis annis fuerint in pretio Litteræ, liberaléśque disciplinæ, plenæ sunt librorum paginæ, & varia per orbem tot impendiis erecta Lycea abundè demonstrant, loquuntur tot Cæsarum sensa, tot decreti Professoribus Census, tot domicilia per Urbes, & oppida litterarum auditoribus instructa: Certò Macedonum Principi tanti erat vel unus Poëta Homerus, ut libros ejusdem, si Plinio fidem damus lib. 7. cap. 29. auro gemmísque diviti incluserit scrinio, neque suaviùs se quiescere crederet, quàm si eosdem capiti unà cum pugione supposuisset: Quid, quod divini litteratis, ab antiquis nostris statuti honores, statuæ ac Colossi positi, sepulchra & Mausolæa Regia post eorum sint mortem constituta? quid, quòd orbe toto separatæ à nobis, ac litterarum rudes Americanæ gentes ab Hispanis subactæ litterarum usum certissimum Divinita-

tis argumentum esse putârint, cum chartæ scriptæ vocem occultam inesse animadverterent: Cieza tom. 2. histor. Peruan. cap. 34. quæ omnia luculentum dant testimonium, summam Viennensium Urbi accedere gloriam ex florentissima illa, ac fœcundissima sapientiæ Matre litteraria Universitate, ex qua tot indies litterati prodeunt Filii, tot tam sacræ quàm profanæ reipublicæ decora progignuntur; ut vel ideo mihi non leviter deliquisse viderer, si hanc Viennensis Civitatis non modicam gloriam præteriissem.

Universitas itaque Viennensis ut refert Specul. hon. Domûs Austriacæ, & Lazius lib. 3. cap. 3. à Friderico II. Imp. anno 1237. devicto Friderico Austriæ Duce, & Viennâ in Civitatum Imperii numerum adlecta penes S. Stephanum est erecta, ac à sæcularibus Professoribus administrata, sed ab Ottocaro postmodum scientiarum amante Principe, & Bohemiæ Rege, Ducéque Austriæ pluribus proventibus, & Magistris anno 1356. aucta, ac ad Aulam novam Ducum ad Urbis mœnia traducta fuit; sed qualiter rebus omnibus pretiosis usuvenit, quæ parvæ primùm in amplam crescunt Majestatem, ita huic est factum Universitati, & à modico fundamento in tantam, quam nunc miramur, propagata est dignitatem: Albertus enim secundus advocatis Parisiis purpuratis Theologis, ut dignam sui relinqueret memoriam, novam aggreditur Fabricam, & propè

Pa-

Patrum Auguſtinianorum Eccleſiam in lo-
o, quem nunc forum porcorum nuncupamus,
plendidum erigit Collegium, in quo florerent
tudia, & Artes liberales promoverentur: ve-
um Rudolphus IV. Auſtriæ Dux, qui aptius,
& à turbis remotius ſelegerat ſpatium, eam ad
Portam Stubenſem tranſtulit, eique relicta
Templariorum ædificia conſignavit, mille quot
nnis florenis cenſum auxit, & in formam Aca-
demiæ reduxit, quam tamen anno poſt 1388.
uti Spec. hon. Auſtr. l. 4. c. 2. Albertus III. cum
trica nuncupatus longè illuſtriorem reddidit,
dum non ſolùm ab Urbano Romano Pontifice
confirmationem obtinuit, ſed inſuper Mathe-
ſeos Profeſſorem adjecit, ipsúmque Profeſſo-
rum numerum ad triginta, quos inter Theolo-
giæ 3. Juris 4. Medicinæ 3. Philoſophiæ & lin-
guarum 20. erant, qui tamen numerus poſtea
teſte Lazio à Ferdinando II. geminatus eſt, am-
pliavit. Manſit ſtatus hìc Univerſitatis uſque
ad annum 1622. quo vocati ut ſupra diximus
anno 1551. à felicis recordationis Ferdinando I.
Rom. Rege Soc. Jesu Patres Univerſitati huic
inviolabiliter, & in perpetuum favoribus Au-
guſtiſſimi Imp. Ferdinandi II. ſunt uniti, qui lit-
terarum amore, & earundem promovendarum
zelo inductus locum illum, quem Rudolphus
IV. pro Academia deſtinaverat, illis conſigna-
vit, Collegium celebre, Templum, ſcholas,
omniáque ad Univerſitatem neceſſaria ædifica-
vit: & quoniam adhuc locus iſte anguſtus vi-

 deba-

debatur, præter domus illas, in quibus Studiosi quidam certis fundationibus, & Bursis, ut vocant, ad id constitutis alebantur, alias adhuc à civibus præfatus gloriosissimus Imperator coëmi, & in usum Patrum tradi mandavit, quo factum, ut indies copiosiori Scholarium affluxu Universitas cresceret, & inter primarias, & celeberrimas, quæ cum omnibus aliorum Regnorum, aut Provinciarum Universitatibus jure competere possit, Academias ab omnibus viris doctis recenseatur.

Habet Universitas hæc suum, qui annis singulis ipso festo D. Andreæ die publicè in Auditorio præsentibus Reverendissimo & Amplissimo Domino Episcopi Viennensis Officiali, ac Universitatis Cancellario, Perillustri ac Magnifico D. Superintendente Cæsareo, R.P. Collegii S. J. Rectore, Proceribus Universitatis, reliquisque Dominis quatuor Facultatum Doctoribus, à quatuor Nationum Procuratoribus solemni ritu eligitur, Rectorem Magnificum, qui quot annis ex Facultate alia ordine debito suscipitur ita, ut Theologico succedat Jurista, huic Medicus, post istum alius ex Facultate Philosophica in hoc officium assumatur. Ea autem Rectoris Magnifici est dignitas, ut in publicis actibus, aut Processionibus primùm à Cæsareis Majestatibus locum capessat, hujus est Universitatis tractare negotia, & criminalibus præsidere, partes adversas componere, & quidquid ad artes liberales pertinet, in Academiæ majus decus, &

orna-

ornamentum dirigere; quod ut feliciùs cedat, singuli ei ex quatuor Facultatibus Decani, quatuor item Nationum Procuratores, Austriacæ videlicet, Rhenanæ, Hungaricæ, & Saxonicæ, & quatuor quos in Facultate quavis Seniores nominant cum binis Assessoribus sunt assignati, cum quibus in Consistoriis, quæ quot hebdomadibus regulariter bina celebrantur causas tam civiles, quàm criminales audit, & sententiam decidit.

Et quoniam quivis ex quatuor Facultatum Doctoribus Dignitatis hujus de se capax sit, Societas tamen ad demerendam Universitatis benevolentiam liberè, & spontè suâ omni Jure, etiam ex Electione passiva oriundo renunciavit, & quidquid in Academico Rectoratu est honoris, & dignitatis, id totum volens libens Dominis Doctoribus quatuor Facultatum, qui de Societate non sunt, reliquit, unde vicissim Universitas ad contestandum suum benevolum erga præfatam Societatem animum declaravit, ita hanc Collegii cum Universitate unionem se recipere, ut nolit quidquam Societatis Jesu instituto, aut studiorum rationi præjudicare; quamobrem R. P. Collegii Rector, ipsáque Societas in Collegii personas omnes, quæ in Universitate litteras docent, aut audiunt, aliúdve in iis gerunt officium omnem eam de illis disponendi potestatem, aut eorum Ministeria dirigendi, jus & authoritatem servabit, quam in eas ante unionem habuisset, eámque in reli-

qũos Scholares, qui Patrum de Societate lectiones excipiunt, aut in Seminariis degũnt, retinebit authoritatem: hoc insuper honoris R. P. Collegii Rectori tribuit Universitas, ut in actibus Academicis sedeat, & locum occupet immediatè post D. Superintendentem inter Universitatis Proceres relatus.

Scholas quod attinet, mansuetiores quatuor ob majorem studentium commoditatem binis in locis, domo Professa videlicet, & Collegio docentur, ita tamen, ut illæ Collegio sint subordinatæ: reliquæ, ut Poësis, Rhetorica, linguarum Græcæ & Hebraicæ cognitio, Philosophia, Controversiæ, & Theologia utraque cum annexis Secundariis lectionibus à deputatis à Societate Professoribus, quæ eos per Facultatem sibi concessam ad Doctoratum Facultatis propriæ sine prævio publicæ repetitionis actu promovet, Auditoribus in consuetis Universitatis scholis, de quibus ante, proponuntur. Scripturam tamen, Jus Canonicum, & Theologiam etiam ex Ordinibus aliis Viri docti & Religiosi ob id stipendiati prælegunt, licèt sub titulo tertiæ, & quartæ Lectionis etiam priores binæ scientiæ à Doctoribus Societatis Auditoribus copiosis explanentur. Reliquæ binæ Facultates, Medica, & Juridica in constitutis ad id propriis Collegiis Professores omni litterarum doctrina excultos, qui suos instituant, copiosos recensent, ut mirum alicui videri non debeat, tot ex Facultatibus singulis procedere viros do-

ctißi-

ctissimos, cùm necessarium prorsus sit, à fontibus clarissimis rivulos limpidissimos prodire.

Et ut de primo Universitatis decore paucula quædam delibemus, de honorum Gradibus, quibus exercitati in arena literaria milites ornari consueverunt, hoc loco differendum venit. Excogitati sunt jam ab immemorabili tempore à veteribus Philosophis bono utique plurimorum consilio certi dignitatis gradus, queis ad bonarum Artium studia incitaretur juventus, & progressi in doctrina sublimiori Auditores decorarentur, unde ut Nazianzenus in Monodia Author est Cæsariensis Basilio M. honoris, & Professionis insignia ex more conferre voluerunt, quamquam ipse propter singularem modestiam eadem repudiârit. Quando tamen, & ubi certus promotionum ordo, & nomina, singularúmque Facultatum leges sint introductæ, non satis inter Authores est compertum: alii Bononiæ, aut Parisiis circa annum Dom. 1120. primò cœpisse affirmant, cùm enim Gratianus Juris Canonici, Petrus Lombardus, sacræ Theologiæ Epitomen conscripsissent, qui Gratiani decretum, aut Lombardi sententias didicissent, vel perlegissent, Doctores appellari ceperunt: verùm, ubi numerus eorum in immensum excresceret, de certa quapiam profitendi ratione cogitatum, & singularum Facultatum leges introductæ sunt, ut Authoritate publica à Scholasticis conventibus solemni, & accuratâ disquisitione priùs factâ (nam Codicillares Doctores,

 qui

qui Pontificum, aut Principis diplomate honorarios titulos conſequuntur, poſt acceſſerunt) certum eruditionis & virtutis teſtimonium habituri crearentur. Conſtitutum quoque tempus eſt, quod in ſtudiis ante ſolemnem illam gradationem conſumere oporteret. Gradus autem præcipui tres ſunt. Primus eorum, qui Tyrocinii depoſiti inſignia accipiunt, Baccalaurei appellantur: Alter eorum, qui Prodoctores, ſeu Licentiati dicuntur, tertius Doctorum, & Magiſtrorum eſt apex ſupremus. Verùm alii multò altiùs publicarum promotionum Originem repetentes, ab Auguſto Cæſare profluxiſſe affirmant: Cùm enim hactenus promiſcuè de Jure reſponderent, & lucri causâ parùm aliquando conſideratè, Auguſtus Cæſar decrevit, ne quis poſthac ſibi eam uſurparet Facultatem, niſi Principis Authoritas accederet, inſerviente publicorum Gymnaſiorum examine: Certè Adrianus Imperator Viris quibusdam Prætoriis hanc Jurisdictionem citra examen petentibus reſpondit, eam rem non peti, ſed præſtari ſolere: Principes non conferre, niſi priùs ſe idoneos eſſe demonſtrarent, & publica Authoritate optimorum Curialium Conſenſu promoverentur, quod ipſum etiam Juſtin. in l. Magiſt. Cod. de Profeſſ. l. 10. ut Zaſius l. 2. ff. de Origine Juris teſtatur, reſcripſit. Sed quidquid de Antiquitate, aut Origine graduum diſceptent alii, certum eſſe pro comperto habemus, Viennenſem Civitatem aliarum Academiarum ſeu legi-

egibus, ſeu conſuetudinibus acriter inſiſtere, nihílque eorum negligere, quæ aut in ſui majus decus, Eccleſiæ, aut Reipublicæ incrementum, ſingulorum cedere poſſit utilitatem: unde Facultas quidem Philoſophica præter diſputationes ſolitas, tam publicas, quàm privatas, bina quotannis temporum ſtatuit ſpatia, quibus bene meritos, ac à quatuor ad id per Facultatis membra electis Judicibus bene probatos, Phyſicos, quidem ad Baccalaureatum, Metaphyſicos verò ad ipſum Magiſterii ſupremum gradum extollat: quod eâ ſemper pompâ peragit, quæ à numeroſa promovendorum copia, Honorariorum nobilitate, Cæſarei Ablegati Authoritate, Doctorum ex omni Facultate multitudine, tubarum, tympanorum clangore, & feſtivo Auditorii apparatu, plurimum accipit ſplendorem, & commendationem. Reliquæ Facultates in Cathedrali S. Stephani Eccleſia, erecto ob id in templi medio ſumptuoſo pegmate, Eruditorum frequente concurſu, ſub campanæ majoris pulſu, invitatis ad ſolemnitatem, & ordine, ac longâ ſerie, ab Univerſitatis quadam domo per plateam publicam ad Eccleſiam procedentibus Facultatum Doctoribus ſuis (poſtquam ſecundùm leges examinati bene, & probati fuêre, debitam Doctoratûs lauream impertiunt: accedunt in ſolemnitatis majoris argumentum compoſiti Libelli, qui ab Humanitatis Claſſe Baccalaureis, à Facultate Oratoria Philoſophiæ Magiſtris, ab aliis, reliquis promotis æquè,

æquè, ac Hoſpitibus unà cum Catalogo, chyrothecis, & à propriis Condiſcipulis oblatis libellis offeruntur. Et ne ſuus Manſuetioribus litteraturæ Diſcipulis deſit ſtimulus, præter majus coram SS. Majeſtatibus annis ſingulis ipſo feſto S. Xaverii die produci ſolitum Drama, ubi ab eadem Cæſarea Munificentia diligentioribus decernuntur prœmia, quinæ per annum à quavis Poëſeos nempe, & Rhetoricæ claſſe adornantur Declamationes, & concertationes litterariæ, in quibus Victorum nomina referto coram Virorum eruditorum auditorio promulgantur) quod idem quatuor claſſes reliquæ ſemel per anni ſpatium bono ſtudiorum profectu, & doctrinæ in Juvenibus incitamento exſequuntur. Multa adhuc eſſent quæ de Univerſitate hac diſſerenda ſupereſſent, ſed quia nota omnibus lubentes ea prætermittimus, ac ad alteram quam Academiam vocant, tranſimus.

Fundnta hæc eſt à Provincia ante annos non multos, ac in Suburbiis picarum platea dicta, ante portam Scotenſem ſita: degit in hac copioſa Nobilium juventus, qui à Regionibus etiam exteris confluentes, tam in litterariis, quàm aliis nobilitate dignis ſtudiis imbuuntur: diverſi in hunc finem Artium, linguarum, Juris, &c. ſunt deſignati Profeſſores, qui ſtatutis temporibus ſoluto ad id annuo ſtipendio in ea, quam quiſque addiſcere velit liberalium artium diſci-

disciplina eos erudiant, & non nisi in iisdem excultissimos manumittant.

Referimus pariter ad titulum istum Artes liberales alias, in quibus Juventus nobilis instruitur; quem in finem variæ sunt erectæ domus, & Amphiteatra, in quibus, equitando, saltando, digladiando, aliisque tam militaribus, quam nobilibus exercitiis, ab excellentissimis quibusque sua in Arte Magistris instructi profectum faciunt singularem, hinc erectæ Scholæ equestres, tam intra Civitatem ad ipsam aulam Cæsaream, ad quam ex Regia per ambitum patet accessus, in qua Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Ephebi statutis diebus, ac temporibus erudiuntur, quàm extra Urbis mœnia ad paulò ante memoratam Academiam, in qua nobilitas plurima se exercet, quibus, quamvis his adnumeranda non foret, adnectimus pugilarem scholam, apud cervum aureum, in qua singulis propè Dominicis diebus sua Opifices ludicra exhibent prælia, & secundum cujusque morem, ac institutum jam hostis oblongis, jam frameis ligneis, jam aliis pro diversitate instrumentis se jovialiter simul, & artificiosè delumbant: quibus in artificiis & aptos se, & expetitos ad hostiles (si necesse foret) retundendos impetus efformant.

Cum litteris erectæ, & instructæ præclarissimis Auctoribus Bibliothecæ non exiguo sint emolumento, & Urbibus splendori, aliquas in genere easque celebriores meritò hunc ad titulum

tulum revocamus; & ne longi simus, Principatum, utì æquum est, obtinet Augustissimi Cæsaris Bibliotheca, quæ tam quoad copiam (multa enim librorum millia continet) quam quoad splendorem, Authorem impressorum, Codicum M. S. Antiquariorum, omniumque eorum, quæ Bibliothecam Cæsare dignam ornare possunt, aut in ea desiderari, debitum apparatum inter primas, & celeberrimas, non unius Urbis, sed ut communis sensus est, Orbi universi numerari potest: Habent quoque Bibliothecam splendidam, eamque publicam RR. PP. Ordinis Prædicatorum D. Dominici, quam ob fundationem, Windhagianam appellant, celebris ea est, & visu dignissima: Facultates quoque suas separatim variis in locis erectas, non solùm suæ Professionis, sed etiam omnigenarum rerum Authoribus habent instructas Bibliothecas, neque etiam Collegium, Monasterium, aut Religiosam Communitatem reperire est, in qua non præclarissimas copiosis planè, & exquisitis Authoribus locupletes, & omni eâ pompâ, quæ Religiosæ non adversetur modestiæ, divites mirabere Librorum, Tabellarum, Globorum, Instrumentorúmque variorum, ut ità loquar, Officinas, ut quasi tot litterariis armata loricis, quod libris prodeat adversùs segnem ignorantiam pugnax Vienna, sibíque doctrinæ palmam, & triumphum adversùm alios polliceri facilè queat Artium liberaliũ aut hostes, aut Rebelles.

TITU-

TITULUS X.

Artes Mechanicæ.

AB Artibus liberalibus ad manuarias ducimur, quæ & Urbium commendant magnificentiam, & augent ſplendorem. Sunt hæ in Urbe hac noſtra tam copioſæ, tam exquiſitæ; ut ad expoliendum quod rude eſt, ad elaborandum quod informe, divino munere Vienna data, imò nata videatur. Lubet hìc eas ordine recenſere, quo in ſuas ſingulæ diviſæ Tribus, ſuo Tribus ſtipatæ labaro, & ſuo labaro Tutelari Divo inſignita, ſub ipſa Theophoriæ ſolemnia dignum non tam artis omnigenæ, quàm devotionis intuentium oculis præbent ſpectaculum.

1. Tribus Fabrorum Lignariorum eſt, ſuóque in vexillo hinc magnum Chriſti Nutritium D. Joſephum; inde Noëmi arcam oſtentat.
2. Murariorum, & Lapicidarum hinc SS. Nicoſtratum, & Symphorianum; inde SS. Caſtorium, & Claudium.
3. Scandulariorum: hinc D. Cuſtodem Angelum; inde domum Lauretanam.
4. Arculariorum: hinc Deiparentem Virginem; inde arcam fœderis.
5. Fabrorum Serariorum, & Horologiopæorum: hinc Sanctiſſimam Virginem MARIAM; inde S. Leonardum.

6. S...

6. Sapanariorum, Salſamentariorum, & Caſeariorum hinc S. Oswaldum; inde S. Euſtachium.
7. Coquorum: hinc Chriſti Aviam Divam Annam; inda nuptias in Cana Galilææ.
8. Carbonariorum: ex utraque vexilli parte Dei Matrem Virginem exhibet.
9. Carpentariorum: hinc S. Eliam; inde Divam Catharinam.
10. Tornatorum: hinc JESULUM tornatoriæ artis Juventute Studioſum; inde Divam Mariam Magdalenam.
11. Nautarum: hinc Divos Noëmum, & Nicolaum, inde eosdem cum Beatiſſima Virgine.
12. Bajulorum: hinc D. Auguſtinum cum D. Thoma Aquinate.
13. Chirurgorum: hinc D. Bartholomæum; inde Samaritanum Evangelicum.
14. Reſtiariorum: hinc Deiparam Virginem; inde D. Auguſtinum.
15. Pileonum: hinc D. Partheno-Martyrem Barbaram; inde D. Turonenſium Præſulem Martinum.
16. Figulorum: hinc D. Florianum; inde D. Sebaſtianum.
17. Textorum: hinc DEI Filium; inde Sanctiſſimam DEI Matrem.
18. Fiſcellariorum: hinc S. Dorotheam; inde D. Gregorium.
19. Mellicratariorum: hinc Matrem miſericordiæ; inde D. Mediolanenſium Præſulem Auguſtinum.

20.

20. Farinariorum: hinc DEI Genitricem; inde D. Claram.
21. Pabulariorum: hinc Nativitatem Dominicam; inde S. Agnetem.
22. Molitorum: hinc DEI Matrem; inde D. Nicolaum.
23. Piſtorum: hinc DEI Matrem cum Divo Nicolao Tolentino; inde D. Auguſtinum.
24. Pectinariorum, & Cribrariorum: hinc D. Mariam Magdalenam; inde S. Danielem Prophetam.
25. Acicułariorum: hinc effigiem SS. Trinitatis; inde S. DEI Matrem MARIAM.
26. Sartorum: Divum Michaëlem Archangelum.
27. Lanionum: hinc 4. Evangeliſtas cum Agno Apocalyptico; inde Abrahamum immolantem Iſaac.
28. Lintearioram: Sanctiſſimam DEI Matrem Virginem.
29. Campanulariorum, & Fabrorum Stannariorum ſine vexillo.
30. Alutariorum D. Catharinam.
31. Marſupiariorum, & Manicariorum: hinc Sanctiſſimam Trinitatem; inde lachrymantem Virginem Bötſchianam cum D. Udalrico.
32. Coriariorum: hinc Beatiſſimam Virginem; inde D. Proto-Martyrem Stephanum.
33. Ephippiariorum: hinc D. Georgium; inde D. Auguſtinum.

34. Lorariorum: hinc D. Gentium Doctorem Paulum; inde ejusdem Converſionem.

35. Samiariorum: hinc D. Barbaram; inde Davidem de Goliatho triumphantem.

36. Vietorum: D. Urbanum.

37. Pileatorum: D. Apoſtolorum Principem Petrum.

38. Pomariorum: hinc D. Annam; inde Sanctiſſimæ Annæ Filiam.

39. Topiariorum: hinc Proto-Parentes noſtros Adamum & Evam; inde Chriſtum ſub Hortulani ſpecie D. Mariæ Magdalenæ comparentem.

40. Olitorum: hinc SS. Trinitatem; inde D. Martham.

41. Sutorum: hinc DEI Matrem; inde Divum Auſtriæ Marchionem Leopoldum.

42. Fabrorum ferrariorum D. Ludovicum utraque ex parte.

43. Segmentariorum: hinc Deiparam Virginem cum D. Joanne Baptiſta; inde D. Paulum.

44. Reticulatorum tibialium: hinc JESUM Paſtorem; inde Familiam Chriſti.

45. Subactorum Coriariorum: hinc D. Michaëlem; inde D. Bartholomæum.

46. Diſtillatorum: hinc Beatiſſimam Virginem Auxiliatricem; inde D. Florianum.

47. Zythopæorum: hinc D. Virginem Auxiliatricem; inde D. Florianum.

48. Pel-

48. Pellionum: hinc DEI Matrem; inde Sanctum Rochum.
49. Vitriariorum; hinc DEUM Patrem; inde S. Lucam.
50. Aurifabrorum: sine vexillo, sed præferuntur iis aurati bini calices cum pateris in decoloratis perticis.

Præter hos, quos suis attribuimus tribubus, alii adhuc sunt in Civitate ista sive Typographiam, sive Pictoriam, Statuariam, Sculpturiam, sive Architecturam civilem & militarem, sive alias artes desideres, Artifices quàm plurimi, quos, ne longum nimis texamus Catalogum, consultò prætermisimus, cùm constet in una hac Urbe tot diversarum artium posse reperiri peritissimos Magistros, quot artes sunt excogitabiles, ut vel in hac gloria nulli quantumvis celeberrimæ per Orbem Civitati Viennam palmam concedere cum veritate fateri possimus.



TITULUS XI.

Gazophylacium Cæsaris, aliáque pretiosa.

OPes, quæ felicitatis humanæ pars sunt maxima, in una hac Urbe, & amplas esse, & pretiosas liquet; metiri eas, qui appetit, incolarum multitudinem, mercimonio-

rum frequentiam, cenſus ampliſſimos, vectigalia opulenta, privatorum ſtipendia, quæſtus, munia, & ſumptuoſum vivendi genus perpendat; quæ cùm in comperto ſint omnibus, ipſum Auguſtiſſimi Cæſaris Gazophylacium hìc reſerare placuit, in quo uno, quod aut rarum à pretio, aut decorum ab elegantia, aut ab arte, vel natura commendatum vidit orbis, brevi veluti compendio concluſum reperies. Pro inquilino hoc tam pretioſo deſtinatum in Aula Cæſaris ampliſſimum & elegans ejus habitaculum, longitudine paſſuum duorum, & ſexaginta, latitudine ſeptem: hìc ordine decoro, mole excelsâ complures exquiſiti operis viſuntur ciſtæ; ſuo omnes theſauro ditatæ, cujus ſingula recenſere cimelia cum pagellæ præſentis non ſuſtineant anguſtiæ, ea hìc ſolùm commemorare ſufficiat, quæ vel materiæ, vel artis præſtantiâ cæteris digniora ſpectantium oculos in ſui rapiunt admirationem.

Ab auro metallorum pretioſiſſimo initium ſumimus, quo hoc in Gazophylacio, & copioſa, & elegans eſt ſupellex, præ cæteris tamen memoranda videntur. Primò ſtatua aurea Imperatoris Turcici equo inſidentis, binis ſtipati famulis, ſtaturæ notabilis. Secundò aurea Rudolphi II. Romanorum Imperatoris Campanula. Tertiò Catena aurea oblonga, latáque diverſas Auſtriacorum Archiducum effigies ad modernum uſque Auguſtiſſimum Romanorum Imperatorem Leopoldum Achati inciſas referens.

rens. Quartò pelvis aurea cum Malluvio aureo à Carinthiæ Ducatu dono oblata, è qua Neo-Nati Auſtriæ Archi-Duces Baptismali undâ luſtrantur. Quintò Horologium aureum Cryſtallo pellucidâ obductum, quod pretio æquari nequit. Sextò Corona Domeſtica Imperatoria adamantibus, Saphyris, gemmíſque majoribus diſtincta, cum Sceptro ex unicornu elaborato, in cujus ſupremitate ſaphyrus, ovi adæquans magnitudinem, viſitur: pomum item Imperiale gemmis prægrandibus pretioſum, quæ tria ſeptingentis Imperialium millibus Rudolphus ſecundus Pragæ fieri fecit. Alia item Corona Imperialis cum cruce, adamantibus, Saphyris, gemmíſque pretioſa, pariformis illi, quæ Norinbergæ aſſervatur, hac Ferdinandus III. primus coronatus eſt. Septimò Corona Regni Bohemiæ cum ſceptro, & pomo. Octavò alia Corona Regalis à Turcarum Imperatore perduelli cuidam transmiſſa, & ſuperiori bello Turcico ab eodem in prælio obtenta. Nonò Fritillus aureus ſuis cum calculis, lapidibus pretioſis diſtinctis. 10. Latrunculorum luſus ex auro obryzo librarum 27. 11. Chartifoliorum luſus ex auro muſivo cum aureo numismate, viginti duorum millium ducatorum. 12. Racemus aureus in Tokayenſibus ſuperioris Hungariæ vineis repertus. 13. Lamina aurea prægrandis arte chymica è metallo; alia item auri maſſa è plumbo transformata. 14. Pocula aurea multiformia, è quibus aliqua movente

 ne-

nemine raro artificio in menſis ſúsque déque gyrantur. Poſtremum variæ pelves aureæ, & ſi quæ alia hujus generis ſupellex.

Ab aureo ad argenteum deflectimus apparatum, de quo id unum in Gazophylacio hoc dixiſſe ſufficiat, eum Cæſare dignum, & tantæ non imparem eſſe Majeſtati, pauca idcirco adferam, eáque cæteris digniora. 1. Navis argentea inaurata interno rotularum motu ſuis cum vectoribus progrediens. 2. Globus Cœleſtis. 3. Bacchus curru vectus hirco inſidens. 4. Strophium argenteum labore Indico ſubtiliſſimis inciſuris cælatum. 5. Bini contexti ex argento calathi, quibus præſtat paris operis quadrata ſportula, ab Auguſtiſſima Imperatrice defuncta ex Hiſpaniis adducta, ſtructuræ tam elegantis, ut ars ſola ſeptem coronatorum argenteorum millia mereatur. 6. Caroli audacis ultimi Burgundiæ Ducis ſtatua argentea genu innixa, alia item Philippi pulchri Hiſpaniarum Regis ſtatua argentea vivi ſtaturam æquans. 7. Fritillus argenteus; taceo horologia artis exquiſitiſſimæ, eáque multifaria, lances, ſcyphos, phiales, pocula, aliúmque copioſiſſimum è metallo tam pretioſo apparatum,

Unionum, Margaritarum, gêmmarûmque tantus hic decor eſt, & pretium, ut quidquid natura ex his Orbi pretioſum protulit, huc intuliſſe videatur. Viſitur hìc præ cæteris Achates candidus, cui ternæ Romanorum Cæſarum effigies inciſæ. 2. Onyx, cui inſculpta Alexan-

dri

dri Magni effigies, duodenis imperialium millibus æstimatus. 3. Caput ex Achate cælatum quod è Sinis ad nos translatum millionum aliquot pretium ibidem habuisse dicitur. 4. Phiala ex Achate & Jaspide miro naturæ fœdere adunatis. 5. Alia ex Onyche phiala ampla, & capax auro vestita. 6. Malluviolum Achatinum à Leopoldo Cæsare decem imperialium millibus coëmptum. 7. Phiala Amathystina. 8. Phialæ binæ, unáque capacior è granato orientali cælata. 9. Amphora vasta, cum phiala ex sardonyche. 10. Lapis Lazari. 11. Major phiala è lapide Neghritico. 12. Serenissimorum Austriæ Archiducum Insignia cum Aquila Imperiali è lapidibus pretiosis vivis coloribus efformata. 13. Concha manûs magnitudinem explens, exterius Achatina, interius Amathystina. 14. Poculum prægrande è Topazio Bohemico. 15. Phiala ex Adamante Hungarico ovi anserini magnitudinnm æquans. 16. Scyphus è Topazio orientali floribus è margaritis diversis distinctus. 17. Latrunculorum lusus è lapidibus pretiosis thecæ argenteæ inclusus. 18. Varia è Crystallo pocula, phialæ, lances, statuæ, naves, quæ inter eminet Scyphus Crystallinus capax in conum assurgens ulnarum duarum altitudine, ab Hieronymo de Miseron elaboratus, in ternas fistulas, è quibus quælibet poculum exhibet; hic scyphus convolvitur, una tamen, & indivisa ex materia efformatus, viginti Imperialium millibus æstimatur. 19.

Hydria Cryſtallina ab Auguſtiſſimâ Imperatrice ex Hiſpaniis allata. 20. Adamas Orientalis quadratus Oeniponto allatus viginti Imperialium millium valore pretioſus. 21. Alius priore major Adamas, gemmis, pyropis, auroque veſtitus. 22. Adamas Bohemicus magnitudine nucis regiæ majoris, formam habens Orientalis illius Adamantis celeberrimi, qui Florentinæ aſſervatur, Auguſtiſſimæ Imperatrici ex Hiſpaniis oblatus. 23. Gemma nucis myrrhiſticæ magnitudine ſexaginta imperialium millibus æſtimata. 24. Ornatus ex Adamantibus in frondes ſpecioſiſſimas elaboratus, centum imperialium millibus æquiparandus. 25. Scutum pavonem è Smaragdis exhibens. 26. Flores varii è pyropis, adamantibúsque confecti. 27. Pyropi aliquot in quadrum conciſi imperialis magnitudine. 28. Patina achatina, cui non artis ſed naturæ ſolertiâ inſcriptum legitur *Beato Chriſto*. 29. Langemula è Smaragdo Orientali baſi triplici innixa nullo pretio ſatis æquanda; par huic cimelium apud Monarcharum Orbis neminem reperiri dicitur, magnitudinem Smaragdi hujus commemorat Lambecius in Bibliotheca Auguſti Cæſaris. Paris magnitudinis bini alii pretioſi lapides hìc aſſervantur, quivis quadraginta Imperialium millium pretium ſibi vendicat. 30. Urceus è Chryſolito, auro veſtitus. 31. Frameæ Turcicæ, aliáque arma, ephippia, equorúmque ornatus copioſus adamantibus, auro, gemmíſque diſtinctus. 32.

Fri-

Fritillus corallinus. 33. Latrunculorum lusus è Coraliis Turcicis. 34. Cista mundo muliebri pretioso, Turcicísque muneribus referta. 35. Topazius prægrandis. 36. Tabula pretiosa adamantibus, gemmis, floribúsque distincta ab Augustissima Imperatrice vidua elaborata. 37. Bezoar Occidentale, & Orientale. 38. Magnes miræ molis anchoram prægrandem sustinens. 39. Hyacinthus Austriacorum insigne cum majori littera *L.* non arte, sed naturâ Magistrâ referens. 40. Linea Margaritharum, quarum quælibet avellanæ nucis magnitudinem adæquat.

Ad ea nunc quæ exquisita magìs artificum elaboravit industria, devenimus, quæ cùm ferè sint innumera, digniora subnectimus. 1. Varia, miræque artis è succino, ebore, cornu Rhinocerotis, unicornu opere Toreutico eleborata hìc visuntur pocula, Scyphi, lances, & si quæ alia hujus generis est supellex. 2. Triremis ampla eburnea omni apparatu navali instructa. 3. Cantharus eburneus, cui Paradisus Orbis cum animantibus omnibus insculptus. Accedunt his Cantharus minor eburneus ab Augustissimo nostro Imperante, & major alter à Gloriosissimæ memoriæ Ferdinando III., tertius item à Serenissimo Archiduce Sigismundo Oenipontano rarâ dexteritate torno elaborati. 4. Sphæra præcelsa uno è continuo efformata cum icone minuta, cui alia superinducta visitur. 5. Pyxidula rotunda cui ab Alberto Dürer omnium

artium peritiſſimo artifice tam affabrè inciſa Salvatoris mundi Nativitas, ut triginta imperialium millium pretio æquiparetur. 6. Tabella Divorum Innocentum cædem cælato opere expreſſam referens. 7. Juſtiniani Imperatoris effigies in Concha expreſſa imperialium 5. millium. 8. Horologium inſidente Baccho in formam dolii figuratum, alterum item in equum efformatum, inequitante ſua cum pharetra Cupidine, tertium in globum circinatum, quartum teſtudinis, quintum cancri figuram imitatur, utrumque interno rotarum motu lento paſſu progrediens. 9. Menſulæ ſcriptoriæ multimodæ variis exquiſitiſſimorum artificum cælaturis exornatæ. 10. Maximiliani Imperatoris dimidiata ſtatura lignea argenteo incluſa loculo ad manûs altitudinem aſſurgens, cujus anterius capillitium Auguſtiſſimæ conſortis ſuæ capillos exhibet. 11. Draco ingens rotis quatuor vectus. 12. Horologium in cruce Cryſtallina elaboratum. 13. Imperatoris Juſtiniani equo inſidentis ſtatua ex ære fuſa. 14. Juditha Holofernem obtruncans, Chirurgus item cauterium inurens, pugna tota ad S. Gotthardum opere ceroplaſtico vivis lineamentis efformata. 15. Baſiliſcus incorruptus vitro incluſus. 16. Culter ſpitamalis à Bohemo Ruſtico 1602. Pragæ in potu abſorptus, tandem poſt novem menſium intervallum lateri Ruſtici exſciſſus, Ruſtico per annos aliquot ſuperſtite. 17. Cornu quod Sanctorum trium

Re-

Regum fuiſſe creditur. 18. Colobium Guſtavi Adolphi Suecorum Regis. 19. Binæ ſerpentum exuviæ urnarum ferè 30. eorum alter Mauros 5. cum cane, alter Mauros ternos abſorbuiſſe dicitur. Mittimus cætera, & à profanis ad ſacra paramus abitum, quæ in tanta etiam habentur abundantia, ut finem non faceremus, ſi vel leviter ſingula attingeremus, unde aliqua delibare ſolùm contenti erimus.

Atque ut ab iis, quæ cœli, terræque pretium Salvator noſter vel ſanguine, vel attactu ſuo pretioſa effecit, ducamus initium, videtur hìc Clavus ferreus, qui dextram Salvatoris Cruci affixit. 2. Altariolum ab externo etiam ſumptu, & pretio non æſtimabile, unionibus, Margarithis, Rubinis, & adamantibus ad omnem Majeſtatem excultum, aſſervantur in hoc ſangnineæ Redemptoris noſtri guttæ, pili ex veneranda ejusdem Barba, Spinæ, & Lanceæ, Columnæ, flagellorúmque, quibus cruciatus fuit, fragmenta. 3. Magnæ tres Crucis ſanctæ particulæ, uti & una de Purpura, altera de ſindone cui erat involutus.

Præter has nullo comparandas pretio reliquias aliorum Sanctorum habentur in Theſauro hoc ſacro quàm plurimæ, has tamen inter memorandas duxi ſequentes. 1. Aliquot integra Sanctorum Corpora. 2. Particulas ſacras ex SS. Apoſtolorum corporibus, quæ in cujusvis propria ſtatua ex argento juſtâ ſtaturâ elaborata aſſervantur incluſæ. 3. Os brachiale

le Innocentii XI. 4. Lapis quidam, quo S. Proto-Martyr Stephanus fuit lapidatus. Alias Sanctorum reliquias, quæ copiosissimæ sunt, & auro, argento, gemmísque pretiosis coruscant, non adfero: ternas illas Crucifixi Salvatoris statuas tacere non possum, quæ partim naturæ, partim gratiæ in se continent miracula, eáque Orbi ostentant. Primam in brassica quapiam membris omnibus, capillis, barbâ, &c. & corporis totius Symetriâ absolutam natura protulit, alteram in floris cujusdam caudice tam aptè, & eleganter efformavit, ut vivere potiùs, ac ab artis peritissimo Magistro elaborata crederetur. Tertia illa est Salvatoris in ligno expressa Crucifixi effigies, quæ Ferdinandum II. orantem, ac contra hostes auxilium implorantem his verbis consolata, & allocuta est: *Ferdinande non te deseram.*

Sculpta hìc quoque asservatur Beatissimæ Virginis statua, quam Æthiops infidelis nescius quid operis perficiat, tam artificiosè elaboravit, ut ad artem, & perfectionem nihil in ea desiderari queat ulteriùs.

Reperiuntur etiam hoc in thesauro bini raro prodigio in saxum transformati panis libones, quos fœmina quædam neglecto divino Officio, ipso festo S. Annæ die pinsere attentavit.

Referuntur ad sacram hanc Gazam infinita propemodùm auro, argento, unionibus, gemmis, lapidibúsque pretiosis insculpta, formata, aut exornata Altariola, Candelabra, Lampades,

des, Calices, Ciboria, Monſtrantiæ, Urceoli, aliique Templorum, & Eccleſiarum ornatus, quæ vel ſola enumerata librum implerent, unde his in præſentiarum ſuperſedendum rati ad binos alios memoriâ dignos ſacrarum rerum thesauros breviſſimè rememorandos transgredimur.

Unus eſt ille, qui à Matthia Romanorum Imperatore, & Anna Auguſtiſſima illius Conjuge RR. PP. Ordinis S. Franciſci in novo foro eſt concreditus, aſſervatur hic in quodam decente penès Templum majus loco, & non niſi ob reverentiam Reliquiarum accenſis luminaribus à linteato ſacerdote oſtenditur: diviſus eſt in ciſtas varias, eásque capaces, ac à pretio ſuo, ſi extrinſecam ſolùm ſpectes æſtimationem, non ſatis æſtimandus: Reliquiæ ſuis thecis, aut pretioſiſſimis gemmis, unionibúsque diſtinctis involucris impoſitæ, ac pientiſſimæ Imperatricis proprio labore, induſtriâ, & manibus decoratæ. Præter alia Spinas ex Corona Salvatoris aliquot, ex ejusdem ſanguine, &c. quæ in pretioſis ex Jaſpide altariolis aſſervantur, integra Sanctorum Capita, oſſa majora, digitos argenteis, aut Cryſtallinis incluſa capſulis labore, & Margaritis ab eadem Sanctiſſima Imperatrice exornatis oſtendunt. Candelabra item 6. ex Jaſpide altitudinis eximiæ, Monſtrantias, Calices, &c. auro, argentóque inſignes quàm plurimos, aſſervatur etiam hic roſarium granis centenis aliquot copioſum, utì & flagrum

quod-

quoddam, quo in corpus suum præfata Imperatrix desæviebat: horæ aliquot in solo spectando hoc thesauro sunt consumendæ.

Alter Celsissimi & Reverendissimi est Episcopi Viennensis è Comitibus de Harrach, quem in Sacello domestico Domûs in Preineriana platea sitæ summâ veneratione, & cultu asservat: est in hoc quidquid vel de Christi Domini, Matrísque ejus Sanctissimæ, vel Apostolorum, Innocentium Infantum, aut aliorum Sanctorum reliquiis potest desiderari: Thesaurus ob id magis pretiosus, quo certiùs constat eum & genuinum esse, & miraculo non vulgari comprobatum: nam cùm à Serenissimo Saxoniæ Duce (ab illo enim tam exquisitum munus hanc in Familiam provenit) quibusdam Lutheranis Prædicantibus, ut reliquias hasce arcis concluderent, cura committeretur, dolo quopiam, an astu particulam quandam Lutheri ex Caligis resectam, ac specialem in capsulam compactam, sacris reliquiis adjunxerunt, quàm unà cum reliquis Ducis sigillo munitam Viennam securo itinere transmiserunt. Portatur interim ad Sacellum arca, eúmque exhalat fœtorem, qui omnium nares obstrueret, ac totum Sacellum fœdè occuparet, neque evanuit fœtor iste, donec Episcopus ipse cum Clero apertâ arcâ fraudem deprehenderet, & capsulam, cui inscriptum erat: *Ex Caligis D. Martini Lutheri*, unà cum inclusis quisquiliis combureret, quo facto, & fœ-

& fœtor evanuit, & fragrantiſſimus odor ſacris ex reliquiis emanans Sacellum totum implevit.

In omnibus propè Eccleſiis præcipuè verò Cathedrali exquiſitùm tam quoad pretioſas reliquias, quàm ornatum, ac vaſa aurea, argenteáque theſaurum reperies; quo & Divinus cultus illuſtrior, & animi intuentium ad Divinam honorandam Majeſtatem reddantur promptiores, verùm, quia vel ex ſolo Auguſtiſſimi Cæſaris, binisque præfatis ſufficienter Viennenſis Urbis tam ſacræ, quàm profanæ divitiæ, & orta exindè gloria abundè conſtat, ad alia quæ titulo huic annecti poſſunt tranſimus.

Inter hæc primo loco memorandum venit Technophylacium Aulicum, quod in ipſa Aula videri poteſt, exquiſitis picturis potiſſimùm, aliísque tam auro, quàm argento, ebore, lapidibúsque pretioſis rebus celeberrimum, ut vel hoc unicum in theſauri nobiliſſimi vicem ſubire, & computari poſſe videatur. Varia hic multimodis clariſſimorum Pictorum, aliorúmque Artificum raris prodigiis referta, eáque ampliſſima longâ ſerie objiciuntur hypocauſta, in quibus quidquid vel aſpectu jucundum, vel arte mirandum, vel pretio eſt ſummum, magnâ voluptate oculorum aſpicitur, hìc tam ſacræ, quàm profanæ imagines à variis aulis ad noſtram hanc transmiſſæ, quarum leviſſimæ aliquot millium imperialium pretium tranſcendunt, plurimæ etiam 30. 40. 50. & plura millia ſuperant: tanta aliæ arte, tali penicillo elaboratæ, ut præ-

ter

ter vocem ad vitam nihil aliud desideres, aliud nihil exposcas. Præter imagines, & picturas rarissimas spectanda proponuntur Idola auro, lapidibúsque pretiosis expressa, & cultum, habitúmque eorum, quæ ab idololatris diversis in mundi partibus, remotísque terris adorantur, multa item numismata aurea, Cæsarum Romanorum effigies auro, alióque sumptuoso metallo, aut gemmis cælatæ: Urbes etiam, & munimenta, quæ vera exprimunt aliorum Regnorum Præsidia, quarum quædam Augustis manibus, & labore ad vivum sunt elaboratæ. Verbo nihil, quantumvis innumera ibi reperies, est, quod suam non mereatur laudem, suam sibi non vendicet æstimationem.

Ad aliud conservatorium amplissimum à Technophylacio, cui ab Ephippiis nomen est impositum, te duco: Videbis hìc arte mirâ, majoribus sumptibus, & ingenti pretio, ac ad Cæsaream exornata pompam Ephippia, lora, stapedes, phaleras, aliúmque tam equestrem, quàm currulem apparatum, quem vel diversi Imperiorum, & Regnorum Monarchæ ad luxum potiùs, & splendorem, quàm usum ordinarium excultum nostram in Aulam dignum Cæsare munus ablegârunt, vel ad pompam, & Majestatem Augustissimi Imperatores fieri curârunt: jacet hìc, & nullus suo est argento, aut auro honos, omnia gemmis rutilant, omnia pyropis coruscant, & vel ipsam stellarum ad invidiam noctem illuminant dispuncti loris, ephip-

piis, & ſtapedibus adamantes, ut vel hoc dixiſſe ſufficiat, inæſtimabilem his unis ineſſe valorem, ac pretio pretium, quod tempore Salomonis fuiſſe legimus, obrutum fuiſſe, ac viluiſſe.

A loco iſto Vaſtam ingredimur Aulæ Cameram, ubi varia aſſervantur periſtromata, quibus ars tanta, tantúsque valor; ut ſola hæc communi ſenſu eorum, qui ea coram & viderunt, & ſtupuerunt, Regni alicujus integri pretium ſuo pretio adæquent: alia acu picta hiſtorias integras, pugnas, beſtias, ſimiliave alia vivis coloribus exhibent, alia filis aureis, argenteis, gemmísque ſuperba oculos intuentium perſtringunt, alia ex holoſerico fimbris aureis locupletata pompam, & Majeſtatem exhibent non vulgarem.

Taceo alia, eaque quàm rariſſima, & quàm plurima Aulæ Cæſareæ, & vel ideo Urbis Viennenſis decora: certum eſto, eam eſſe his in Theſauris Viennæ gloriam, cum qua nulla per Orbem Civitas, nullæ exterorum Principum opulentiæ valeant comparari.



TITULUS XII.

Horti, & loca recreationi assignata.

MAgnam olim in ſumptuoſis extruendis viridariis vim locabat antiqua Nobilitas, eáque iis exſtruebat impendiis, quæ ad luxum potiùs, & ſplendorem immoderatum, quàm ordinatam relaxationem animi ſerviebant: miramur adhuc penſiles Babylonis hortos, eósque Orbis prodigiis adnumeramus, dum vel eos mortuis librorum lineamentis videmus adumbratos, eásque trabes ſuſpicimus, quibus tanta impoſita moles, ſtratas pavimento arundines aſphalto compactas, aquarum receptacula, proceras arbores aurâ quaſi ſuſtentatas, ampliſſimum, & pedes viginti duos ſpiſſum latitudine murum ſtupeſcimus, verbo machinam tantam teſtudinibus fultam, opus ſuperimpoſitum operi dilaudamus, eóque humanum in colendis, aut ſtruendis hortorum formis progreſſum fuiſſe ingenium; ut qui oculari eos non probavit experientiâ, fidem propè abnuat recenſenti. Fabula ſit, quod de Heſperidum Pomario Poëtæ commemorant, vel de Adonidis Hortenſibus deliciis referunt alii, illud certum eſt Viennenſi Floræ areolarum ſuarum non deeſſe illicia, ſed civitates reliquas in amœnum, ac floridum poſſe provocare certamen. Et licet inter ipſa Urbis mœnia neque adeò copioſa, ne-

que

que amplitudine suâ vasta possint esse vireta, ea tamen, quæ tum in aula Cæsarea, tum plerisque Religiosorum Cœnobiis, tum privatis Dominorum quorundam palatiis, tum ipsis in Urbis reperiuntur mœniis, ejusmodi sunt, quæ pascere queant virore oculos, odore nares, amœnitate totum hominem recreare. Majores sunt suburbanæ hortorum deliciæ, quas, quia non minùs ipsi Urbi quàm jucundæ, tam gloriosæ, levi pennâ more nostro percurrimus, illud obtestantes, ne, si fors prætereamus aliquos, alios commemoremus, id vitio, aut culpæ nostræ, sed eorum, à quibus id accepimus minùs solerti indagini adscribatur.

Primarios itaque, & tam à rerum varietate, quàm Venustate, & Magnificentiâ memoriâ dignos in Suburbiis Leopoldinis recensent præ aliis antiquam Cæsar. Majest. Favoritam, ut nuncupant, quæ tempore Viennensis Obsidionis vastata quidem, sua tamen adhuc hodie habitæ magnificentiæ vel ex ipsis ruderibus ostendit argumenta.

In iisdem Suburbiis diversis tamen locis sunt horti celebres, Principis de Montecuculi non procul à Prater. Com. Coloredo propè perticam vexilli (Fahnstangen) Com. de Flasching, penes hortum præfatum. Com. Loschi, &c. Com. Volckra, Com. Zsernini ad ripam brachii è Danubio profluentis, in loco, quem intra salices dicunt. Com. de Weissenwolff penès FF. Misericordiæ. Com. de Oëtting ad Da-

nubium. Com. de Lamberg ad ripam Danubii, D. de Aichpigl, & Lebenthurn.

In Roßau/ præter alios plures, quos omittimus insignes sunt, & digni calamo Principum duorum unius de Dietrichstein, & alterius Liechtensteinii. Comitum item ab Altheim, Kueffstein, Harrach, Colaldo.

In platea picarum vocata Comitis Dietrichsteinii, Melicensium Præsulis, Aulici, Regiique ærarii Præfectorum, unà cum horto Vorsteriano.

In via Regia Viennensium Episcopi è Comitibus de Harrach, Com. de Paar, Dominorum item ab Albrecht, Hellinger, & Partilotti horti sunt singulares.

In Widen præter Augustissimarum Majestatum Favoritam in paucis celebrem, inveniuntur horti alii non pauci, quos tamen inter primatum exercere dicuntur Comitis de Starrhenberg, Com. de Zsernini. DD. de Rechcron, Binder, & Scheller.

In platea Lutea vulgò Kottgassen/ D. Baronis de Seel.

In Neubau Palatini Hungarici, & Principis Esterhazi: DD. de Andler, Albrechtspurg, & Enzin.

In fossa argillacea ad aureum agnellum hortus est à gratia multùm amabilis.

Guntendorpii Episcopi Jaurinensis è Ducibus Saxoniæ. Marchionis de Obizi. Com. de Königseck. Baronis ab Oppel. D. Secret. de May-

Mayern. Quo etiam referimus nondum absolutum, sed vel ab ipso jam exordio suo sumptuosum, qui unà cum Magnifico Palatio favoribus Augusti Rom. Regis in Schönbrun mirâ arte, & industriâ pro dignitate tanti Principis adornatur.

Omnes hi vel vastitate immensi, vel ab ædificiis raris, & superbis pretiosi, vel à floribus, fructibúsque aliarum Regionum mirandi, peristromatis arboreis, sylvulis integris, statuis, picturis, aliísque hortensibus deliciis amœni non minorem Viennensi Urbi gloriam, quàm animis ipsis genuinam delectationem pariunt, & voluptatem.

His Hortorum amœnitatibus non possumus non subnectere delicias alias, quas Urbs tota ex amœno arborum virore, pratorum varietate, fluviolorúmque gratioso strepitu, umbrâ, aëréque jocante, ex vicino sibi post pontem loco excipit, quem **Prater** vulgari nomine compellant: Locus iste Suburbiis Leopoldinis conterminus eam habet in se amœnitatem, quæ & ipsas cum primariis Ministris Cæsareas Majestates sœpiùs suavi sinu, venatione, aliáque recreatione refocillat, & copiosam serum etiam in tempus nobilitatem allicit, & invitat ad hilaritatem, locus ob id verè pretiosus, ac dignus, qui reliquis suam ob amœnitatem hortorum illiciis comparetur.

Inter alia recreationi dicata, qualia copiosa tam Urbs, quàm annexa Civitati Suburbia


numerant, in quibus variæ pro virium mentísque relaxatione exhibentur ſpectacula, numerandæ veniunt Domus Comicæ, & ſphæriſteria: illas quod attinet præter id, quod in Cæſareo, & Academico Societatis Jesu Collegio, ac Domo Profeſſa, in quibus coram Auguſtiſſimis Majeſtatibus, ſpectante tam Nobilium, quàm populi confertâ multitudine Dramata exhibentur, ipſa in Regia novum, & amplum non dudum erectum cernitur Theatrum, quod à Scenarum varietate, commoditate, & reliquo apparatu comico non parvam ſibi vendicat commendationem. Binæ adhuc aliæ habentur in Urbe Domus comicæ, quarum una in platea ad portam cœli, altera in platea ſimplici dicta ſita eſt: Ubi frequenter per anni decurſum tam ea, quæ aures, quàm quæ oculos ingenuè valent delectare, curioſo ſpectatori cũ hilaritate proponuntur.

Sphæriſteria, quantùm accepimus quatuor numerantur, ubi ſuam ad artis regulas dexteritatem amantes pilæ oſtentant varii: in aliis albis, nigris in aliis pilis luditur: primum non procul ab Aula Cæſarea eſt erectum, ad portam cœli ſitum eſt alterum, tertium penès Monaſterium ad Scotenſes dictum: quartum tandem penès RR. PP. Ord. S. Franciſci in Domo Alböſiana reperitur.

Inter loca recreationi ſervientia, non minimam ſibi partem vendicat quidam Auguſtiſſimi Imperatoris locus, quem ab ædificio Neugebau appellant, aſſervantur hic diverſa ſpectatu

ctatu digna animalia ſuis diviſa repagulis, & in certa fora diſtributa, Leones, Urſi, Tygrides, Lynces & aves rariſſimæ, quarum una molis, & magnitudinis juſtæ pro plumis ſetis, aut quaſi pilis eſt obducta, altera hic ſpectatur beſtia, cui Carpophoro nomen eſt inditum; acceſſit noviſſimè à Turcica Legatione allatum par Pantherarum tam cicurum, ut Vertagorum locò lepores capiant, eósque ad eum, qui curam illarum habent, apportent, & abſolutâ venatione raro ſpectaculo equis veluti caniculi inſideant, & aſſeſſori ſuo blandiantur, hæ tamen adhuc Turcæ cuidam, qui curam earum ulterius gerat, concreditæ.

Hoc etiam titulo non prætereundum judicavi ſpectaculum aliud, quod in Leopoldina, quotquot Dominicis, feſtîsque diebus æſtivo tempore ad Leonem aureum vaſtâ in Domûs area pergulis bene inſtructa copioſis ſemper, ſpectatoribus exhibetur, ubi Urſorum, Taurorum, ac aliarum tam cicurum, quàm ferarum beſtiarum venationes inſtruuntur. Reliqua, quæ paſſim in domibus aliis reperiuntur lubentes prætergredimur, ac rebus aliis immoramur.



TITULUS ULTIMUS.

Magnitudo, & Ambitus Urbis.

UT Operi nostro finem imponamus, adjungimus coronidis locò quod titulo secundo promisimus, Urbis Viennensis Magnitudinem, & capacitatem, quæ cùm in celeberrimis etiam per Orbem Civitatibus inter prima earundem numeratur decora, non in mediocre Viennæ Gloriosæ ornamentum cedet, & commendationem, cùm, uti sequentibus ostendetur, maximas etiam Urbs nostra per Orbem Urbes, si non superet, certò amplitudine suâ adæquet; pro comperto enim habemus circuitum illius, si unà cum Suburbiis, quæ vastissima elegantissimis Urbibus non imparia ipsorum hostium testimonio numerat, computetur (quemadmodum ex Mathematica quapiam demonstratione anno elapso facta, accepimus) esse 20830. passuum, quæ sanè circumferentia ingens est, & propè immensa. Ut autem hanc cum aliis Urbibus comparationem instituamus, eas, quæ ob amplitudinem suam celeberrimæ censentur, commemorabimus, additis Authorum, qui earundem magnitudinem exploratam habuêre nominibus: A Principe Urbium Roma exordium sumimus, hæc ut Lipsius l. 3. de Magn. Rom. c. 2. testatur, cum suburbiis ad Ostia usque protensa in circuitu suo olim occupaverat 50000. passus, jam verò postquam

à Go-

Gothis est vastata ad 21. vel 22000. passus esse redactam ajunt; David Frölichius tamen Cæsareopolitanus Mathematicus, qui Lipsio pluribus annis est recentior, Romam non nisi 20000. suo circuitu moderno continere tempore asseruit, ex quo illam Viennâ 830. passibus inferiorem esse cognoscimus.

Constantinopolim Romæ subnecteremus, nisi eodem Lipsio teste illam Romæ circuitu, & amplitudine suâ parem intelligeremus, adeóque & hanc à Vienna superari cognosceremus: quare Româ Neapolim quæ cognominis Regni Metropolis est concedimus: hæc testante Ludovico Gotofredo in Archontologia Cosmica non nisi 7000. passus suo complectitur ambitu, quare integris 13830. passibus à Viennensis Urbis magnitudine eam deficere est necesse.

Neapolim Venetiæ, uti idem Frölichius Author est 1000. superant quidem passibus, 12830. tamen à Viennensis Urbis amplitudine superantur, quæ, quia sunt amplissimæ Italiæ Urbes, nulla alia est, quæ cum Vienna in comparationem venire queat, unde in Galliam ex Italia transimus.

Parisiorum vastissimæ totius Galliæ Civitatis (reliquæ enim ob magnitudinem suam non admodùm commendantur) amplitudinem non nisi ex copia incolarum, cum nullum de circuitu ejus Authorem repererimus, licet colligere, Urbs hæc, ut Nicolosius, Maginus, & Frölichius testantur 500000. Incolarum conti-

net, Lipsius tamen reclamat, eamque lib. 3. de Magn. Rom. cap. 3. ad 400000. suo tempore redactam numero defendit: Verùm quidquid sit de Parisiensium Incolarum numero, illud certum videtur, vel parem, vel ampliorem hominum multitudinem Viennæ degere, cum constans est opinio etiam ultra 600000. numerus Viennæ habitantium excurrat, quod vel exinde colligitur, quod vel in unico loco suburbiorum, cui à S. Udalrico est nomen ante modicum tempus 45000. personæ fuerint numeratæ. Cæterum ut ad solidiora nos convertamus, platea longissima Parisiorum juxta præfatum Frölichium ad ipsam Civitatis portam extensa, adeóque Urbis diameter, non nisi unicum milliare Germanicum, seu 4000. passus adæquat, sequitur proinde juxta regulam Adriani Mezii totam circumferentiam Urbis 12566. passus non posse excedere, quod etiam confirmare videtur dictum illud Caroli V. Imperatoris Gloriosissimi, qui cum aliquando Lutetiam à magnitudine tantopere celebrari audisset, se Chyrothecam habere reposuit, qua Lutetiam operire posset, Gandavum videlicet intellexerat Flandriæ Caput, quæ Urbs verso in Latinum Gallico idiomate Chyrothecam significat; cum igitur ut Joannes König eruditissimus Geographus in *Vestigiis suis Mathematicis* affirmat, Gandavum ultra 12000. passus suo in ambitu non multum complectatur, consequens est, & Parisios, &

Gan-

Gandavum Viennensis Urbis magnitudinem non adæquare.

Verùm ut etiam in Lusitaniam nos convertamus, Ulyssipponem in comparationem adferamus, quæ Regni illius Urbs Princeps, & omnium est amplissima, sed & hæc ut sæpius memoratus Frölichius confirmat non nisi 8000. passus ambitu suo complectitur, atque adeò cum Vienna in magnitudine componi non debet.

Ne tamen sola in Europa nos detineamus, Oceanum conscendamus, & in Orientem vela faciamus, oggeret se illico, quæ reliquas inter Urbes primatum tenet celeberrima Goa. Verum hæc ut ait Lipsius ambitu 9000. passuum terminatur, ac vel ideo 11830. passibus à Vienna exceditur: ac ut etiam alias, suis quidem jam ruderibus sepultas revocemus in memoriam, Persepolis celebris quondam Jmperii Persici civitas 20000. passus numerabat in circuitu: Tauris mediæ Metropolis 16000. complectebatur, sed utraque Viennâ inferior, utrâque superior est Vienna.

Et ne nimiùm prolixi simus, Cairum modernis etiam temporibus non tam Ægypti, quàm Orbis universi celeberrimum Emporium præmemoratis adnecto: Hoc uti Vansleb. in Rel. de Ægypto pag. 117. scribit 15. Germanica milliaria, seu 60000. passus sua in circumferentia

tia numerabat, sed etiam huic, si debitam proportionem observabimus Vienna potest comparari: nam Cairum quod attinet, nosse oportet, demissas plerumque casas potiùs quàm domos in illa Urbe reperiri, quæ unius contignationis altitudinem non superent, cum è contra hac in Urbe nostra omnes fermè ad tres, plurimæ ad quatuor, & nonnunquam ad quinque contignationes ascendant, in quo si defectum aliquarum per excessum aliarum suppleamus, omnes saltem trium contignationum continebunt altitudinem, quod si igitur una contignatio separetur ab altera, & in unam locaretur una juxta alteram planitiem, triplo Viennam fore majorem, quam superius recensuimus, & quæ prius suo in circuitu passus habebat 20830. jam habituram 62490. adeóque non parem solùm, sed etiam Cairo majorem passibus 2490.

Una restat adhuc magnifica illa, & antiqua Babylon, cujus tota circumferentia uti P. Kircherus in sua turri Babel lib. 2. Sect. 2. asseverat 365. stadia seu 45615. passus continebat, quæ & ipsa olim ædificia habebat augusta, & alta, quæ eodem modo abscindi, & juxta se poni potuissent, ut vel huic soli Vienna impar, & amplitudine sua minor videatur. Verùm quamvis moderno tempore Babylone minor circuitu sit Vienna, si tamen proportionem ab augmento intra 60. circiter annos vel 70. facto, ad futurum intra totidem annos augmentum insti-

ituamus, reperiemus Viennam Babylone ipsâ ituram ampliorem: Vienna enim intra annos o. circiter non obstantibus lue dirissimâ, & diuurno, cruentoque bello ita est aucta, ut quæ ub Ferdinando II. Imperotore Gloriosissimo ulra 80000. homines non numeraverat, jam nunerum 600000. superet, quanta futuris 60. vel 70. annis sperare licet incrementa? Certò si terninum istum juxta Arithmeticæ leges per regulam auream inquiramus, comperiemus, intra spatium annorum 70. hominum 3900000. in censum esse redigenda: Cùm autem Urbs ipsa vix amplius plures, quàm defacto continet possit recipere incolas, sequitur locum ipsum proportionaliter in tantum augendum esse, quantum ipse incolarum numerus augebitur, cùm igitur hic sexies, & media parte major sit, consequens est, ipsam Civitatem sexies, & mediâ parte majorem fore, atque adeò in tota sua circumferentia numeraturam 136395. passus, qui æquivalent 34. minoribus Germanicis milliaribus, & 395. passibus, & hoc ipso Babylone futuram ampliorem.

Atque hæc sunt, quæ de Viennensis Urbis gloria differenda judicavimus, plura de eadem majora, & laudabiliora dicturi; si instrumenta ad hoc debita, aliorúmque, quorum petiimus subsidium, ac tempus amplius habuissemus: quemadmodum enim unio in concha absconditur, quæ aliorum oculis objicitur, & suum intus

ser-

ſervat theſaurum, ſic Viennenſis Urbis gloria, quam hoc libello propoſuimus, gloriæ illius, quam longè majorem habet Concha eſt, ex cujus venuſtate, & ſplendore facilè latentis decus pretii licet conjecturare.

FINIS.



DESCRIPTIO DE EXPLANATIONE OBSESSÆ ET FELICITER SECUNDA VICE LIBERATÆ VIENNÆ.



APPENDIX
De
Explanatione obſeſſæ & feliciter ſecundâ vice liberatæ Viennæ.



Oſtquàm Vienna Auſtriæ Metropolis Cæſarea & Archiducalis Reſidentia, Anno 1683. die 14. Julij à ferviſſimo Turcarum Exercitu circiter 170000. armatis militibus valido ſub Ductu Juſſuq; Grandis Veziri Karæ Muſtaphæ Baſſæ circumvallata 17. die ejuſdem utriuſque intercluſa fuit. Hoſtis foſſas ducendo mirum in modium appropin-

quando â dextra ſiniſtraque ſuis ad lineis adjuncto ſemilunæ velo contectus ante Arcis & vulgò Lôbel ſuggeſtum contraſcarpæ vicinus linearum deſignatu incurſionem, ita conduxit ut unicuiq; noſtratum fruſtra & incaſſum (etſi unâ vice tentatum) iſtius munimentum profundasque ſesqui viro foſſas curriculares invadere videretur.

Quamvis durante hoſtis aggreſſu à noſtra parte optimè prævideretur, interque horrendos Tormentorum mugitus inter devaſtatas hoſtis gallerias omni fortiſſime interuptui repugnaretur; tamen iſte continuatâ ferociter invaſione contraſcarpis, Revellinisque ſuperatis in foſſam ambo inter invaſa ſuggeſta commodi maioris ſpe irruendo profundis ejuſdem lineis adductis humo plenè tectus enominatis ſuggeſtis tribus in locis apperitis, in cortinis & ſimilibus vallis recentibus cuniculis accenſis plurimâ peditatûs parte interfectâ & vulneratâ civitatem per 9. hebdomatum intervallum anguſtiis oppreſſam ita

ener

enervavit, ut ſecundum cujuſcunque judicium extremè tentandi causâ excurrere fas eſſet. Exinde ſua Cæſarea Majeſtas (ut manifeſtum) & ſacrum Romanum Imperium ob tam loci Celebris jacturam in ſummo periculorum caſu verſata ſuperflua ſucceceſſuum adminicula conquærendo, nos auxietate ſollicitatos gratioſiſſimè adjuvando reſtituendæ libertati paternam operam navavit. Itaque ſereniſſimus Elector Saxoniæ Joannes Georgius III. in propria Perſona ſuo cum Exercitu 11000. militibus armatis effectivè proviſo, quippe 6000. peditum. 4000. equitum. 1000. Dragonorum. Compagnia Incendiariorum, unà cum corporalibus equitum excubiis, tormentis quoque bellicis ſelectis ſtipatus. 8. die menſis Septembris, Cæſareis, Polonicis, Bavariis, Francicis, aliisque confœderatis Cohortibus adſtantibus ſe ſe adjunxit. Quibus conjunctis eodem die aciei ordo (ut hìc in ære habetur) deſignatus fuit. Sed tamen animadvertendum

quod Regipoloniæ, Cæſarea Majeſtate ita poſtulante, de Bavariis, Saxonicis & Francicis, in ſumma 4. Batalliones conceſſæ fuerint. Quâ de cauſa 5. tantum Battalliones de Saxonicis in prima linea deſignatæ fuerunt. Poſtero die 9. Septembris campo Tulnenſi relicto ad montem Viennenſem integer Exercitus ſe admovit. 10. ejuſdem pedites, ſuperioris ſylvæ montem obtinebant. Saxones dextrorſum Collem proximum Kalenbergæ adjacentem conſcendunt. Reliqua peditatûs turba valli inhæret, equites ordinem ſequuntur. Aliquot Dragoni commemorato monti tranſcenſo ſe committunt. Quo ſua Regia Majeſtas Poloniæ cum aliis præclaris Belliducibus omnia perſcrutatum loca veniens in rupevalli finitima vigilias ſuis Heyduckis agendas mandat. Elector Saxoniæ ex juſſu Regis Poloniæ aliquot Batalliones ibidem, hoſte forſan Heyduckos repulſuro locat. Iſto die non ſingularis armorum commotio oriebatur. Sequente

te vero 11. Septembris tota peditum cohors Kalenbergæ ſe admovebat. Saxonici pedites occaſione ejuſdem loci ſerviente feſtinando Exercitui præveniebant. Qua propter illi jam jam propemodum montem tranſcendentes ad pares lineas ducendas exſpectant. Renunciato de montis altitudine, ſimul ac hoſtis abſentiâ, viſis Turcis Batallionatim in altera montis parte appropinquantibus, ſaxones, etiamſi Cæſarei impediente valle latè diffuſi & reliqui medium montis obtinerent, illum tanquam prærogativam hoſti reſciſſuri conſcendunt. Hoſte in medio montis ſtare conſpecto, Saxonici reſiduæ cohorti aſſociati ſiniſtrorſum, peruſtum Monaſterium ordinis Camalduenſis (37.) antiquam arcem (36.) ſimul eum Cæſareis obtinentes muniunt unum Cæſareum, duo Saxonica tormenta, quibus hoſtem angebant, plantant. Hoſtis per quondam temporis ſpatium Dimirans cum liberis pauculùm retroverſus ſeſe proximis infoſ-

ſis abſcondit. Nocte durante nihil peragebatur, uſque ad 12. diem Septembris aurorâ jam ſurgente Cæſarea & Saxonica Soldateſca de Monte pedetentim deſcendens loco bene accommodato cui omnium aſpectus ſerviebat, inſidet. Siquidem in pede Montis excrementum Saxorum viro altorum aſſibus circumcinctum Cæſareis & Saxonicis Batallionibus primæ lineæ ad prærogativam adfamulantur. Quàm primum ferociens hoſtium inſultus non ſolùm per vallem adverſus Saxones, verùm etiam Cæſareos non procul ab iſtis retro rupem latitantes exercebatur. Subinde Saxone citato pede cacumine Montis relicto deorſum volantes 2. Batalliones in valle hoſtem neceſſitate adſtringendo ſe ponunt. Ut eidem in fine Montis pes prærogativæ hoſti denegaretur. Hac temporis inſtantiâ reliquæ Battalliones advolantes perbene hoſti ſeſe opponunt. Hoſtis illud ſentiens valli vicinus appropinquat, peditatus illius occulta hic illic-

que

que loca quærit è quibus Cæſareis Saxonicisque peditibus explodendo timorem incutere ſtudebat. Qui è contrà pedites ſuo in loco commorabantur donec hoſtis â ſiniſtra adveniret. Ad hæc Saxonum pedités in ſiniſtro cornu adverſus hoſtem ſe convertunt. Hoſtis in valle ſaxis frutetis bene munitus Cæſareos Saxonicosque â fronte nudatos igne continuo ſollicitat. Intereà peditibus francicis reſtantibus (d) â quorum Commendatore petitum Bellidux Reüs, ut ſuis eum Batallionibus ſe adjungeret, mittitur, quoniam hoſti Saxonum tergum invadendi magna prærogativa fuit. Is vero bellidux Reüs promto animo, ſuum Polimarchum principem de Walldeck francorum Commendatorem ſua cum Batallione ſine Juſſu non cedere mandaſſe, profecti exinde Saxonicæ Battálliones diviſæ ad tertiam lineam verſus vallem ita ſe movent, ut hoſti impetus abdiceretur, & peditus ſecuritatis ſtudio ex tribus lineis una cum 2.

 fron-

frontibus formare neceſſitaretur. (ab) interim ab hoſte Battaillionibus primæ lineæ explodendo, non mediocris jactura inferebatur, cum ille contectus; Cæſarei econtrà & Saxones nudati, hoſtili poſto indagatæ aptius eundem expellere videbatur. Idcirco Turcæ â 2. Batallionibus Cæſareorum peditum, in quos illi (ut prædictum) barbarè irruebant, ſub Ducis de Croy ductu ſurſum Montem urgebantur. Turcæ vero deſcendentes in altera Montis parte Cæſareos ita aggrediebantur, ut hoc in conflictu prænominatus Dux de Croy vulneratus, illius frater occiſus fuerit. Exſemplo Ludovicus Marchio Badenſis turmam Saxonicorum Dragonorum ex ſecunda linea ſiniſtri cornu de equis deſcendentium ſtipatus ſuccurrendo hoſtem prorſus de Monte ſingulari Saxonicorum tormentorum ope depulit. Infanteria Saxonica hoſtem â fronte invadendo ita perturpat, ut imminentem tergo montem velociſſimo curſu confuge-

re

re cogeretur. Saxones cum Cæſareis illum ſubitò inſequentes in cacumine Montis ſeſe locaturum propellunt. Hoc inſtante reliquæ Saxonum Batalliones in valle (ut ante viſum) latitantes hoſtem crudeliter â tergo cædunt. Ille vero in foſſis peramplâ planicie explicatis cum quibus dam vexillis hæſitans continuante igne impediebat ne noſtratibus ad incurſum cũ reliquis in monte ſtantibus conjunctio præſtaretur. Quapropter aliquot de iſtis Commendati hoſtem ad latus invadentes ad caſtra deſerenda urgebant. Quâ retroſtantibus Batallionibus ad reliquum exercitum ſeſe admovendum via præparabatur. Elector Saxoniæ Montis apicem tranſcendens ſuis Belliducibus hac ſemper in actione pedites dirigentibus favorem exhibens, optando, ut, ni ſiniſtrum cornu duxiſſet in propria perſona illis adfuiſſet. Poſtea infanteria Cæſarea in monte conſcenſo caſtra metabatur. Hactenus horâ ſecundâ pomeridianâ in dextro cornu nihil fiebat.

Atta-

Attamen reliqui pedites unâ cum cornu dextro in ſylva apud Dorenbach latitantes ad pugnam parati ordine aciei verſus hoſtem ſe conferebant. Fortes mox turmæ dextrum cornu invadentes videbantur. Aliquot etiam Turcæ à ſiniſtro uſque in vallem in vaſi parimodo illuc tendentes dextrum cornu aggrediebantur. Hoſti aliquot Poloni occurentes repellebantur. Qui igiter 4. Battallionibus Infanteriæ, â Cæſareis, Bavariis, Saxonicis & Francicis ex poſtulatu Regis Poloniæ ante Couſcenſionem Kalenbergæ traditis ante dextrum cornu ad prærogativam poſitis ſeſe aſſociabant, cum dextrum cornu periclitaturum eſſe videretur, demum. Huſſari ſe adhærentes hoſtem aggrediendo in fugam negabant. Hoc temporis fluxu Dux Lotharingiæ cæteris cum Cæſareis Belliducibus in Montem veniens actionem Dextri cornu uſque ad finem ſpectabat. Hoſte fugam capeſſere viſo, Conſilio Polimarcho Goltzen â Belliducibus approbato, victoria

ria inſequendo hoſtem reportabatur. Dux Lotharingiæ hoc peracto de Monte revertebatur. Cæſarea & Saxonica Infanteria cunctis Batallionibus ſtipata de cacumine Montis deſcendebat; Turcæ in valle hoc conſpecto in priora ſua caſtra revertentes ad ſiniſtram aliquot 1000. congregabant. Hoſtis præterea vallum obducendo 6. tormentis de ære (e) munivit. Quibus tamen ſemper alte nimis fulminabatur, idem altitudinem Diſputaturus videbatur, Cæſarei, Saxonicique ad prælium parati monti imminentes altitudinem opinione hoſtem aggrediendi ſuper eminebant, ille jam jam ſe caſtris (f.) dedit, Saxonicis exinde ad prædam hæc 6. tormenta erant. Perdurante conflictu ſub veſperum intra 5tam & ſextam horam Ludovicus Badenſis cum Saxonicis, Hauslericis Dragonis unà cum medio Wittenbergico Regimento & aliis turmis uſque ad contraſcarpam portæ ſcotiæ vulgò ſcoten Thor ſeſe admovendo quamprimum mutuo conſen-

ſu

ſu cum Commendatore comitæ de Starenberg hoſtiles foſſas cuniculoſque hucusque â militibus fortiter confirmatos corruendi cauſam præbebat: hoſtis ex caſtris ſuis uſque ad ultimum momentum horribili tormentorum boatu, fero bombarum jactu, crudelique tumultu, quaſi palma in Manibus ſuis adhuc vireſceret, continuabat. Noſtrates ad extra (modo concluſo) in foſſis â tergo invadentes hoſtis 2. tormentorum verſorum igne angebat. Cum Janitſcharis pauliſper peracto conflictu Turcæ è lineis, omnibus relictis fugientes noſtrates e civitate corruentes non exſpectabant. Noſtrates è civitate ſub maturum lucis ortum irrumpere Approchas præſumentes nec unum è Turcis reperientes omnia prædæ attributa ſine ullo inſultûs puncto ſuperabant. Poloni Capitalia hoſtis caſtra ingrediendo grandis Veziri tentoria unà cum adjunctis prædabantur. Hoſte ſumo illius diei manè cum magna equorum & Machinarum

rum curruum copiâ, cum multis 1000. militum castris â tergo relictis adversus Schwâcham confugiente gratissima eodem vespero nova â generali adjutante comite de Ausperg suæ Cæsareæ Majestati Thirensteiniæ retro Crembsam illo tempore residenti adferebantur. 13. Septembris manè Rex Poloniæ, Electores, Bavariæ, & Saxoniæ, Dux Lotharingiæ simul & præsentes principes, belliduces hostis Approchas circa civitatem recogni-turi adveniebant. 14. ejusdem sub meridie sua Cæsarea Majestas per naves sub ternum tormentorum salve circum civitatem exiguo Aulicorum Comitatu adstipulata Viennam felicissimè attingebat, ubinam suæ Cæsareæ Majestati portum obtinenti, ambo Electores Bavariæ & Saxoniæ, Dux Lotharingiæ, reliqui Principes & Belliduces unà cum ingenti populorum turba ad ripam Danubij obviantes de felicissima civitatis liberatione congratula-

ban-

bantur. *Adhæc* te Deum laudamus ſolenni pompâ. In Baſilica S. Stephani cantabatur.

FINIS.



